STANISLAI ORICHOVII ROXOLANI CHIMÆRA:

SIVE

De Stancari funesta Regno Poloniæ Secta.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces.



COLONIÆ,
Apud Maternum Cholinum.
ANNO 1563.

M. Z. Materno suo S. D. P.

MItto tibi pro meo singulari in te studio ac amore, Confeſsionis Catholicę Stanislai Orichouij Sarmatæ, diuiniloqui viri, contra funeſtam in regno Poloniæ, Stancari ſectam fœtidiſsimam, exemplar vnũ, mihi à Secretario Polonico nuper datũ. Quod vt elegantioribus typis tuis, primo quoque tempore in octauo (vt vocãt) excuſum prodeat, ac in manibus noſtratium verſari incipiat, vehemẽter precor. Opus profectò admirandum, ſiue rerum maieſtatem, ſiue vim ac impetum dicendi, quo rapere ac expugnare videtur animos, ſiue etiam incredibile, ac ſupra quàm dici poteſt ardentiſsimũ, pro defendenda auita Religione, contra Stancari in regno Polonico venena, zelũ ſpectes. Auctor hic quũ in Saxonia aliquandiu ſtipendia feciſſet, confuſoq; hoc in ſectarum ſalo dubiè nauigaſſet, nuper in portũ Eccleſiæ Catholicæ tranquillum, veluti in placidũ venerandæ matris ſinũ, ſeſe recepit, êdito hoc egregio animi ſui verè Catholici ſpecimine. Bene atque feliciter vale, mi Materne, &, quod facis, pro tua virili Eccleſiam iuuare non ceſſa.

SACROSANCTO CONCILIO OECVMENICO TRIDENTINO STAnislaus Orichouius Roxolanus, ſe, ſuaq; omnia dicta, ſcripta, geſta, quæ praua ac recta, dijudicanda, purè ſimpliciter, & abſque conditione ſubijcit, infra ſcripto Chirographo ſuo.

SAnctiſſimi Patres, ac iuſtiſſimi Eccleſiæ Catholicæ iudices, cuius vniuerſitatis corpus Tridenti, in ſanctorũ communione, repræſentatis vnanimes, ſumma cum remittendorum, & retinendorum peccatorũ poteſtate: habentes in ſinu complexuque veſtro vitam æternam: cuius adipiſcendæ, extra veſtrum conſenſum, nulla facultas vlli datur: en ego à finibus terræ ad vos clamo, dum

anxiatur cor meum, ac vobis de media Roxolania, ad Tyram flumen, (Dnestrum vocant accolæ) Carpatho monti subiecta, supplex manus tendo, cum principe publicanorum illo, in conspectu, consessuq; vestro, fraudata compẽsans quadruplo. Nãque ego honorem debitum, non homini, sed ordini vestro, sępe detraxi: atq; commune vestrum patrimoniũ multum vexaui, dicendo in vos, quæ non oportuit: scribẽdo de vobis, quę non licuit: agendo contra vos, quæ nõ decuit agere, dicere, scribere. Defraudaui igitur vos, cum hæreticis dũ cõiuro, dicto, scripto, facto. In quibus tot, ac tantis damnis, detrimentisq; vestris, ex auctoritate vestra resarciendis, nolite, pro indulgentia vestra, aliud à me expectare velle, præter illud quadruplũ, *Pater peccaui, in cælum coram te*: Vos enim vniuersi, in vno ordinis vestri principe PIO IIII. Romano Petro, omnium nostrûm vnus pater

pater estis: à quo patre ego, non tam ætate, quàm temeritate adolescẽtior filius, substantiam, pro mea rata parte, acceptam, Lenones Saxonicos secutus, cum meretricibus Germanicis in regione longinqua, & abs te ô pie pater, disiuncta, consumpsi, profudi, abliguriui. Nec solùm priuatam rem, sed etiam publicam inibi cõfeci. Nã, & nomen patrium intereà loci amiseram: Euãgelicus, pro christiano vocitatus: & de tanto patrimonio, ꝙ à te pater acceperã, cuius generis sunt, verbum purum putum, & sacramentum, ne iter quidem ad sepulchrum patriũ, gurges, & helluo à te proscriptus, reliquum mihi feceram. Vnde eò iã mihi reciderat res, vt in regione illa Saxonica fame dominante, saturari siliquis porcorum cuperem, & optarem: quas subulcus ille lutulentus, Lutherꝰ, in volutabra ingerebat suis illis immanissimis porcis, Germanię sanguine saginatis: quorum ante-

 signa-

ſignani, atque duces hi fuerunt: Caroloſtadius, Pomeranus, Melãchthõ, Balthazar, Bucerus, Zuinglius atque Oecolampadius. mitto alios, illius impuriſſimi, periuriſſimiq́; ſubulci cœnoſos porcos. Erant autem illæ ſiliquæ, omni farina caſſæ, quibus inferciebamur nos quoque ſtulti adoleſcentuli: Nempe, Cuncti mortales p̱æquè omnes ſunt ſacerdotes: Nullũ ſacrificium eſt Miſſæ: Euchariſtia, panis eſt ac vinum à propola, atque de cupa: Pœnitẽtia, Confirmatio, Vnctio, Votum, triſtia ſunt Deo impiorum ludicra: Eleemoſynæ, ieiunia, p̄ces, pannus mulieris mẽſtruatæ ſunt. Certitudo gratiæ Dei erga nos, ſemper præ nobis ferenda: ne qui fortè, ex incertitudine gratiæ voluptatem fidẽtis interpellet peccati obex. Hac ego fœda rerum ac verborũ, à famelico Luthero, VVittembergę paſcebar ſagina, qui veterum hæreticorum cœno, vt putebat ipſe, ita candorem ineuntis

euntis adoleſcentiæ meæ imbuebat. Et, niſi Deus, miſertus noſtri, præſentem mihi periclitanti porrexiſſet manum, in eodem cœno pereundũ mihi fuerat & ipſi, in quo lutulentus ille porcorum Saxonicorum grex vniuerſus, ab legione dęmonum depreſſus, atque demerſus, cum veſtigio interijt. Horum ego itaque perditorũ miſerrimo, acerbiſſimoq́; exterritus caſu, reuocaui gradum ab hoc illorũ præcipitio: &, receptui canente Eccleſia Chriſti, reſpexi me aliquando, atque me collegi ex illo ærumnoſo ſectarũ ſalo, quo iactabar adoleſcẽs: in eum me portum recepi, quẽ vnũ mihi reſtare cernebã trãquillum: ipſius nempe peccati confeſſionẽ. Quẽ portum tutũ, & clauſum, dũ hæreticorũ vitãt claſſes, maxima & miſerrima naufragia fecerũt: & ad Sathanæ ſaxa proiecti, fœdè perierũt, Videbã porrò, ô pater, fiducia ingenij, deſpicientiaq́; tui, appetẽtia autem vanæ

§ 4 lau-

laudis, collapsum funditùs fuisse me. Quapropter, vt me erigerem iacentē, ac dissipatum colligerē, principio ipso, ingenium ad malū procliue, damnaui meum: deinde, te patrem eum datum esse nobis iudicaui, qui melius consulere filijs, ac prospicere posses, q̃ nos ipsimet nobis. Postremò, gloriolam illam, quam spiritus parit malignus atq; procax, omnem protriui & conculcaui: ac pedibus tuis, totam vt antè, ita etiam nunc subieci. Mitto patrocinium eius, litem prodo, causam desero. Contere tuo arbitratu pater aspidem & Basiliscū pede tuo dextero, qui faucibus meis, multum ordini tuo afflabat mali. Conculca leonem illum, quem ego oratorem, contra te piscatorem, ex Ciceronis atque Demosthenis logodædali produxerā ludo. Iā nec Draco sophistes, sub laureola inanissimæ laudis in me delitescat, qui ex Græcorum sophismatum fœtore cretus, audaci adolescentiæ

meæ in scribendo contra te, obrepebat furtim. Duc igitur in altū nauim, laxa retia, sanctisime piscator, in hāc capturam: & hæc, ex mari veliuolo dictorum, scriptorū, factorumq; meorum, retibus tuis piscare monstra: præhende, extingue, dele. Macta in me aspidem, occide Basiliscum, interfice leonem, iugula draconem, & purum putum Christianum, simplici fide baptismi contentum, me tibi, ac tuis adiunge: vt sim in ouili tuo, nullam habēs meam peculiarem iustitiā, neq; sapientiam, neque prudentiam, neque doctrinam. quibus priuatim elati nostri parentes primi, se, & nos miseros perdiderunt. Quapropter ab hac subiectione mea pręsenti simulatio absit, temeritas remoueat̄, malitia facessat, ostentatio sileat. quæ, cùm ex opinione ingenij, oriantur mala, hoc vnum his tot incommodis meis remedium esse arbitror: vt sub iudicium tuum grauissimum mea cuncta

cadant: vtq; te auctore, & magistro iustissimo, sapientissimo, prudentissimo, doctissimoq;, intelligendi, & viuendi, summis illis bonis, quæ commemoraui, in Ecclesia Catholica cũ omnibus communiter viuam: particeps per te factus, omnium timentium Deum, & custodientium mandata eius.

Vt autem intelligas, quàm me prę teritorum pœniteat, pudeat, pigeatque: mitto ad te confessionem meæ fidei, quam eandem Catholicam esse arbitror, publicis literis, monimentisq; consignatam. Chimæram insuper addidi, monstrum horrẽdum, ingens: cui mille nocendi artes, nomina mille: quam ego, patrię nostrę pestem anhelantem, sagittis de tua pharetra depromptis, nuper hîc in Roxolania confixi pater: quæ in Papatum tuum, hoc est in patrimoniũ nostrũ cõmune, omni impetu irruebat, Rẽpublicã cõuertebat: ordinẽ ex ea tol lebat,

lebat, & in chaos inordinatũ quoddam, cuncta in Sarmatia reducebat. Porrò, extincto hoc mõstro, illud planum fecisse me Sarmatis meis arbitror, vt sacerdotis vsus nullus est, nisi seruiat altari, ita regis quoque vsum nullum esse, nisi is ministret sacerdoti. Magnum opus, & arduum, ac viribus nostris impar: sed audendũ erat cõtra immaniũ hęreticorũ vim, & impressionẽ: atq; hæc etiã ardua cõtra illos fuerãt tentanda. Qui non priùs regna se euertere posse sperant, q̃ te pater, vnà cũ tuis socijs, de custodia, vigiliaque Ecclesiæ deijciant. Quàm aũt id rectè, atq; ordine, proque tua amplissima dignitate fecerim, tuũ sit iudiciũ, tua existimatio. Surge ergo, ac sede ô pater, & comede de hac venatione, ab orco in lucẽ reducis tui filij, vt Benedicat mihi aĩa tua. Tibi eñ soli ideo cõcredita est summa benedictio, vt cui tu benedixeris, esset Benedictus: Cui aũt maledixeris, esset

esset maledictus. Exosculor autẽ beatos pedes tuos, qui scabellum pedũ Christi Dei mei sunt: ac te veneratus, vt decet patrem, filius supplex peto, & quæso, vt me pro tua auctoritate pastoritia, cum Stancarana secta, tanquam cum funesta Chimæra, duello coram rege meo commissum, aspicias: ac me benedictione tua cælesti prosequare, in aciem iam prodeuntem.

REVE-

REVERENDO PATRI D. ANDREÆ PRZECZLAVIO, DECANO Posnaniensi, ac Cracouiensi Scholastico, Iacobus Gorscius.

S. D.

Chimæram Stanislai Orichouij, opus diuinũ, & ijs temporibus, cùm Ecclesiæ Catholicę necessariũ, tũ verò Reip. nostræ salutare, ita vt R.P. tua voluit, & iudicio doctorum subieci, & vehementer ab eis approbatum: vt & maturè & emendatè typis excusum, in publicum prodiret, pro mea singulari, & in R.P. tuam obseruantia, & in Orichouium amore, curaui. Equidẽ Orichouius, non alios solùm, quod semper fecit, in hoc opere, sed etiam seipsum superauit. Nec facilè dictu est, vtrùm in eo plus studium Eccle-

siæ

ſiæ Catholicæ, ac religionis Auitæ defendendæ, an impetum dicendi, quo in hoſtes Eccleſiæ fertur: ac rerum variarum & maximarum ſcientiam admirari debeamus. Magnũ ingenium Orichouij, magna artiũ magnarum cognitio, tanta vis dicendi, quanta maxima, in homine eſſe poterit: tantus ardor religionis Auitæ, ſuum in locum reſtituendæ, vt hoc ipſius volumen, quod in lucem damus, teſtatur, quãtus in paucis inuenitur. Nõ horum hoc diuinum ingenium, temporum eſt: non huius tempeſtatis vis dicendi: tãta libertas in patriæ ſalute, religioneq; patria tuẽda, quanta nec in CRASSIS, neq; in ANTonijs illis, principibus Romanis: q̃ non modò pignoribus, ſed ne lingua quidem ſibi euulſa, quò minùs, vel ſpiritu ipſo, libidines malorum Ciuium refutarent, ſe coërceri poſſe profiterentur. Non terretur Orichouius turba armatorum, non dimouetur cuiuſquam

iuſquam gratia, à patriæ, religioniſq; eius, quam cum materno lacte hauſit, defenſione: tanto impetu in legũ patriæ, religioniſq; hoſtes, qui in viſceribus Regni huius hærent, fertur: quantum illi, niſi temeritate illa, qua omnia contemnunt, abutantur, nunquam ſuſtinere poterint. Vmbram, Stancare, Orichouij, cum tuis illis diſſolutis ſcopis, quibus religionem Catholicam profligas, ipſe cum tuis canonibus reformatorijs, hinc ꝓfligandus, ferre non poteris. Nihil præſidij tibi, tua peruerſa malitia, qua ſcripta Sacra deprauas, & ad tuos ſenſus impios auertis, præſtabit. Impar tibi, Stancare, certamen eſt, à nobis veritas, à nobis ſyncera & vera religio Patrum: à te mendacia, à te impietas ſtant: tu in omni genere eruditionis, ieiunus, aridus, inops: Orichouius omnium bonarum artium diues, omnis eruditionis, tam diuinæ, q̃ humanæ refertiſſimus. Tu è lacu

nescio quo hauris: Orichouius, è fontib⁹ liquidis, ac vberrimis fundit: Aurũ Orichoui⁹ purius, q̃ Tagus voluit: tu fæce ac cœno æstuas, ille errantes tuaq; peste infectos adviam reuocat, medicinãq; à te vulneratis adhibet: tu à veritate animum bonorum auertis, atque ad interitũ præcipitas. Tu tuo iudicio omnes condemnas, ac præ te neminem hominem esse putas, non nisi tui cerebri opiniones corruptas sequeris: Orichouius, tale suum ingenium, tantam eruditionem, quanta in hominẽ cadere potest, iudicio omnium bonorum subijcit: Nihil in publicum absq; auctoritate eorum, penes quos est religionis christianę potestas, clauesq; Petro à Christo traditæ, in manus hominum venire vult. Quæ eius modestia, potestatisq; ordinatæ obseruantia, summam illam ei⁹ vim, & ingenij & Tullianę ac Demosthenicæ eloquentiæ impetum, omniumque rerum maximarum sciẽ-
tiam,

tiam, tanquam gemmam, aurum cui includitur, exornat, atque omnibus gratissimam reddit. Tuas istas fęces sua natura fœdas, temeritas tua, contemptusq; nõ legum modò ac hominum, sed etiã ipsius DEI, fœdissimas, omnibus inuisas, præter eos quorum tu, tua peste sensum infecisti reddit. Sed te cum tuis hęreticis ac impijs fęcibus, quibus aspergis & fœdas Rẽpublicam nostram mitto: eò vnde digressus sum redeo, atque ad Chimæram Orichouij (opus & iudicio Doctorum, & re ipsa, vt admirandum, ita Ecclesiæ Catholicæ, cuius auctoritas in eo firmis lateribus, maxima vi dicendi, pia contentione, ac vero illo Zelo, qui christianum pectus effodit, defenditur: & Reipub. huic nostræ, cuius saluti consulitur, cuius periculis, belloque illi, cuius classicum tu Stancare inflas, occurritur, & salutare & necessarium) euoluendam penitusq; cognoscendam, non eos mo-

dò,

dò, quorum vel maxime intereſt, tanta propugnacula Eccleſiæ ac ordinis ſacri tenere, ac vulnerum ſuorũ medicamenta cognoſcere, ſed etiam iuuentutem dicẽdi ſtudioſam hortor: non ſolum ob eã pietatem, quã hoc volumen ſummam ſpirat: ſed etiam, vt quæ ſit vis dicendi, quis artis diſſerendi, quis maximarum artium & ſcientiarum vſus, hinc (quod facilè fuerit) cognoſcat: nec minùs quàm Tullianis opibus, ac Demoſthenicis dicẽdi neruis, ſuã eloquẽtiam & inſtruat & cõfirmet. Imo quis vſus ſit eloquẽtiæ illius, magnarumq́; artium, quæ veteribus mirãdæ fuerunt, in religione tuenda, videant: & quem fructum ſtudiorũ expectare debeant, cognoſcãt. SED pluribꝰ agere nolo, ad tuã P. P. Andreæ Przeczlaui opus, à quo ſcriptum accepi, Typis excuſum remitto: ac & grauiſſimo & limatiſſimo iudicio tuo, iterũ illud ſubijcio, vt ordinata poteſtate, qua in munere

Pon-

Põtificio vteris: parteſq́; Optimi & Clariſſimi Pontificis Philippi Padneuij ſuſtines, comprobatum, in manibus piorum verſari incipiat. Vale Princeps Optime, noſq́; tui ſtudioſiſſimos, ac Orichouium, alterum in Hęreſi profliganda Herculem, tua beneuolentia complectere, & auctoritate tuere. Vale. Datum è Collegio maiori: 17. Calen. Maij. Anno Chriſti: 1562.

CRACOVIÆ.

MELCHIAR PVDLOVVSKI Stanislao Orzechouio.

SIue petis manibus calamos, siue ora recludis,
Et calamum dulcem, & ora diserta refers.
Inclyta nam Pallas, Orichoui, & magnus Apollo,
Munere te tanto duxerat eße parem,
Vt poßes manibus calamos, atq; ore referre:
Sunt pauci tantùm, qui meruêre decus.
Græcia grandiloquum duntaxat magna Periclem:
Et iactat Marcum Roma superba suum:
Quòd sontes poterant defendere fulmine linguæ:
Et poterant trepidos soluere sæpe reos.
Non minus ipse tuas potis est extollere laudes
Sarmata quisq; bonus, si modò recta sapit.
Defendunt illi uitijs fastuq; nocentes:
Tu populum purgas Ecclesiamq; Dei.
Siue igitur calamos laxaueris, atq; diserta
Ora recluseris, ô quàm tua uerba nitent?
Pars stupet altiloquæ donum immortale Mineruæ,
Vtq; cohortanti, diffluat ore Sophos:
Pars stupet ut uariè oppugnas hæc perfida mõstra,
A quibus indignè temnitur Ecclesia,
Perfida monstra petis uerbis strictaq; securi,
Quæ hîc concussa iacent, arte manuq; tua.
Stancare quem dices, qualémue putaueris illum,
Quem docta en Pallas Marsq; superbus amat?
Stancare frustrà tuas referes ad prælia uires,
Cassus tu causa spes tibi nulla manet.

Iuppiter ipse tua hæc Orichoui cœpta secundet,
Intrepidus pugnes, hoc duce uictor eris.
Non igitur cesset tua sternere castra malorum:
Dura securis, qua monstra maligna petis.

DE RELIGIONIS IN POLOnia mutatæ statu. Laurentius Gosliczki.

HIc, ubi Relligio constans, pietasq; manebant:
Vixit & in populo, non temerata fides:
(Credere quis quondam potuit mutarier ista)
Nunc uirtus, pietas, exulat atq; fides.
Atq; ubi sancta dabat de lege arcana, sacerdos,
Furcifer hoc profugus, nunc facit & fatuus.
Quæq; priùs sacros cogebat Curia patres,
Nunc decore, & sacris, despoliata ruit.
Singula si referam, pereunt pietatis auitæ:
Sacra, fides, cultus, relligioq; simul.
Quorum si causam cupias cognoscere, librum
Hunc lege, quem doctus scripsit Orichouius.

IN STANCARVM IDEM.

STancare, dic tandem quo te tua gloria ducit,
Stultitia aut quando, desinet esse tua?
Tantáne te cepit temnendi obliuio recti,
Vt te falsa diu, sic adamare iuuet?
Dicq;, diu quàm te ludibria stulta iuuabunt,
Aut finem quando, stultitia ista feret.
Desine Christicolas procaci offendere lingua,
Desine & hunc populum, conscelerare Dei.

 Si uerò

Si uerò haud cessas, strictam uereare securim,
Aptata est, collum mox feritura tuum.

Io. Demetrij Solikouski, in ortum Chimæræ.

IN thalamum Fastus Contentio uênit iniquâ,
Nec mora conceptum uentre reclusit onus.
Prodijt à Stygijs hinc sæua Chimæra tenebris:
Antè leo, medio caprea, fine draco.
Astu, ui, bello, coniunctis uiribus una hæc
Sarmaticos miserè depopulatur agros.
Quam Deus à nostris pestem depellito terris,
Inq; Acheronteos oro recondе lacus.
Sed facis ante preces, mittēs qui inhibere superbā:
Christicoli posśit militis arte feram.

GREGORIVS MACER.

MVltifidā Hæretici, et Stācar genuêre Chimæ-
Cuius iā multo tēpore flāma furit. (rā,
Nunc Deus afflictum quò mundum peste leuaret,
Hæc Orichouio fortia tela dedit.
Ipse quibus totum posśit defendere mundum:
Bellerophontea scismata falce secans.
Hæc acies ferri ualida, hæc inuicta securis
Auferet ecce tuum, Dira Chimæra caput.
Quiq; diu errores uerbis latuêre politis,
Huius ab eloquio mox retegente cadent.
Surgite Sarmaticæ gentes, animamq; cathenis
Eripite, Hæreticos hocq; fugate Duce.

Sancta

Sancta Patrum Synodus Tridentum lecta uenito,
Auxiliumq; Duci iam dato iamq; nouo:
Qui nunc Herculea superûm uirtute robustus,
Monstra animæ ex sacra relligione leuat:
Pacificat sæuis mentes erroribus olim
Implicitas, puram & sternit ad astra uiam.
Hic gerit exuuias hostis, clauamq; trinodem,
Hydra ferox ista est interimenda manu.
Viue precor longum superis donantibus æuum:
Hæresiomastix, fortis, acute, potens.

IACOB. VANGROVECEN.

STancarus ut peperit mōstrosa mole Chimærā,
Extimuit partus protinus ipse suos.
Sarmaticos dixit, nunc nunc uastabimus agros
Hac duce: quis tantis uiribus obstiterit?
Audijt ista fremens Orichouius, atq; securim
Aeratam ualida corripit ipse manu:
Poscit equum, (credo delapsus Pegasus illi
Adfuit) inscendit, tergaq; presśit equi.
Stancare, quis tibi nūc animus? quæ corpore uires?
Victus eris, iamiam Stancare uictus eris.

ALIVD IN STANCARVM.

STulte quid exultas? Orichouius ipse Chimærā
Bellerophontæo tollere more potest.

FINIS.

ALBERTI VEDROgouij Hendecasyllabi.

C Vr nomen dedit huic libro Chimæræ,
H Ic scriptor bonus, artifex peritus:
I N regno uidet esse nunc Chimæras,
M Onstrosos homines, Deum negantes.
Ae Què nam licet omnibus patrare,
R ES (quæcunq; placent) satis nefandas,
A Quouis sapiente condolendas.

IDEM.

Discite Pontifices, exẽplo Bellerophontis,
Flammiuomum monstrum, tollere de medio.
Sit labor hic uester, curate fideliter istud,
Ne qua Chimæra sit, in relligione nocens.
Concutit hoc monstrum, sat dura credo securi,
Intrepidus miles, Sarmata grandiloquus.

AD SERENISSIMVM ET CHRISTIANISSIMVM PRINCIPEM ET Dominum, D. SIGISmundum AVGustum, IAGellonem, Poloniæ Regem, Magnum Ducẽ Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæque, &c. Dominum, & Hæredem.

STANISLAI ORICHOVII ROXOLANI, CHIMÆRA: siue de Stancari funesta Regno Poloniæ Secta.

LEX Mosis est, SIGISMVNDE AVGVSTE REX, eum, qui homicidam viderit, nec Magistratui fugientẽ demonstrauerit, reum esse cædis. Contra hanc legem, ne committam, defero ad Maiestatem tuã Franciscum Stancarum, plùs quàm Sicarium, plùs quàm homicidã, plùs etiã q̃ parricidam. Qui Mantua ex Italia pulsus, quòd contra rempub. fecerat,

Homicidij LEX.

A cùm

cùm in Poloniam exul venisset: mox primo aduentu, non quoduis membrum, sed collũ atq; caput regni tui, hoc est, Regalem atq; Pontificialem potestatem, percitus hæresi, inuasit: ac libris etiam per Poloniam dissipatis, accerrimè oppugnauit, vt cõcionib9 seditiosè, & populariter concitatis, Pontificialem potestatem si sustulisset, nec Regali potestati tuæ vllum locum in Polonia relinqueret. vt ita ociosam vitã apud nos viueret: &, impunitate ꝓposita, sectas è sectis, quas vellet, sereret. Neq; verò ego, ꝓ mea fide, vnum Hæreticum, ad Maiestatẽ tuã defero, sed cęteros omnes, eiusdem generis maleficos, sceleratosq;: qui, aliundè pulsi, in regnum tuũ, tanquàm in Asylum, confugiũt. vbi illis, nõ modò impunè, sed etiam cũ summa gloria liceret viuere. Quos ego tamen vniuersos, veluti mõstra quędã, ex dissimilibus atq; repugnãtibus studijs, inter ipsos, cõflatos, in vno Francisco

Stancaro, Maiestati tuę, demonstrabo. Nam is, cùm ex omnibus veteribus & recentibus sectis: omnia Hæreticorum venena delibasset, vnã ex omnib9 fecit hęresim, in qua, tanq̃ in speculo, vis & natura multiplex hęreticorum cernitur: quę præter cęteras hæreses tantò nocentior est, quantò omnes aliæ, simulatione pietatis, infra Stancaranam hæresim sunt. Nam cęteræ sectæ, apertè cum Ecclesia bellum gerunt: hic, pacem simulans, studiosè omnia contra Ecclesiam colligit: &, tanquàm tela, ex veterum hæreticorũ pharetris deprompta, in medullis atq; visceribus Ecclesię defigit. Ex qua etiã ratione, venit mihi in mẽtem, Stancari hæresim appellare Chimæram: quam à Bellerophonte fuisse interfectã, tradit Homerus. Stãcar enim, Leonẽ de tribu Iuda, fronte simulãs: sẽtẽtia, Draco est ille insidiosissimus, qui nos insectaẽ, et calcaneo nostro insidiaẽ assiduissimè. Et quoniam,

STAncari hæresis.

CHIMæra.

niam, vt institui dicere, id monstri genus Græcorum Poëtæ appellãt Chimæram: quæ, antè Leonem, cauda Draconem, media parte capellã præ se ferret. ab hac nomenclatione, in appellanda Stancari hæresi, quæ rugit vt leo, lædit vt Draco, fœtet vt capra, discedere nolui. Peto aũt à tua Maiestate, vt me ditionis atque potestatis suæ hoĩem, cum Francisco Stancaro, tanq̃ Bellerophontem cum Chimæra, in oculis regni sui, pro legibus, & pro religionibus decertantẽ, clementer audiat. Cui, Stãcaro inq̃, cùm nullus esset in sua patria locus consistendi, is in Maiestatis tuæ regno repentè censor morum, lator legũ, auctor religionũ prodijt: hocq; sibi amplissimũ esse duxit, Pontifices, patres regni tui amplissimos, reos idololatriȩ apud te facere, cùm ipse Mantuæ, baiulus diobolaris, operariorũ esset vltimus. Et quoniam hæc illum impunè agere, quouis homicidio grauius est, lege

STANcar exul, cẽsor Poloniæ.

cum eo agam: &, quod lex Mosis iubet, hunc hæreticum ad Maiestatem tuam deferã, qui nunq̃ ea in nostra repub. conari ausus fuisset, nisi & Regalem, & Pontificialem potestatem pariter contempsisset: &, nisi Polonicum genus nostrum, in perspiciendis fallacijs hæreticorũ, existimasset stupidũ esse, & bardum. Et vt ita rẽ esse, via & ratione demonstrem, primùm dicam de genere Stancaranæ sectæ: deindè, de Regũ officio: tùm ad extremum, de retinẽda maiorum religione. Hæc, dùm disputo, & ordine, quo proposui, demonstro, quæso, obtestorq;, vt, Maiestas tua, quasi in iudicio sedẽs, ex regali solio, benignum, & clementem sese præbeat mihi iudicem: &, quod eius facio, patriæ dulcissimæ, charissimæq; causa, me facere, Maiestas tua existimet, quam artibus hæreticorũ cõuelli, & in postremum certamẽ, atq; discrimen adduci, ingemiscẽdũ est. Par aũt est, in tanto ani-

DIVisio LIBRI.

morum,atq; rerum motu, pro salute
communi, omnes oĩa experiri. Neq;
verò in postrema felicitatis suæ parte
Maiestas tua deputet, in hac tanta tẽ
pestate sectarum, quas in his nouissi-
mis temporibus excitauit Sathan,eti
am equestris ordinis viros reperiri,
qui contra immanium hæreticorum
audaciam,pro legibus,atq; religioni-
bus patrijs,præclarè possint consiste-
re. Itaq;, Deo duce, cõsciẽtia teste,
Maiestate autẽ tua iudice, aggrediar
ad ipsum Stãcari crimẽ, ac Stancarũ;
contra Maiestatem fecisse,conuincã:
quòd is priuatus,rempublicam admi
nistrare in Polonia fuerit ausus.

COMmodiùs ergò fecis-
ses,Frãcisce Stancare,si
q̃ apud plerosq; in Ro-
xolania,de me detraxi-
sti, ea vel corã me præ-
sente dixisses, vel ꝙ in-
genuũ decet,edẽdis scriptis,quæ mi-
nitaris,refutasses. Sed quoniã adhuc
cuni-

cuniculis abs te oppugnor, nũc,si vi-
det̃,in medium prodi,ac latus apertũ
pete:en tibi ego mei corã Maiestate
Regia facio copiã. Quanq̃ aũt res hęc
misera & calamitosa est,me ciuẽ, abs
te peregrino: ingenuum, à fugitiuo:
equitẽ,ab exule:postremò, Catholi-
cũ,ab hęretico,in crimen vocari:tñ,
ne defugisse certamẽ pro veritate, cõ
tra falsitatem videar,libet mihi comi
nùs tecũ conferre nũc pedẽ. Ad quã
rem, duæ me causæ adhortãtur: Vna
est,charitas meorũ,qui abs te capti,è
ciuitate Dei in ciuitatẽ Diaboli sunt
traducti: Altera est, hęreseos crimen,
cuius tu nomine eiectꝰ è Mãtua,pul-
sus ex Italia, ꝓhibitus à Germania,
nullũ aliũ receptũ habuisti,nisi in ijs
nostris partibꝰ,in quas irrepsisses nũ-
q̃,nisi priùs ingeniũ nostrũ contẽpsi
sses:& nisi nos sine rege atq; lege vi-
uere existimasses:vt ita sublato metu
regis,atq; legis,fraudes, atq; fallacias
hæreticas tuas, impunià apud nos, q̃

 alibi,

alibi,sereres. Quamobrē, vt & illos, oratione mea redimā abs te captos: & te, hominem mobilē, auctoremq; futilem doceā, neq; auctoritatē ad te cohibendum, neq; facultatē ad refellendū,nobis in Polonia deesse, explicabo: atq; excutiā te, tanq̃ hydrā, ex sinu nostro, ac simulatione nudatū, constituā te ante Maiestatis oculos: &,eorū inprimis, qui posthabitis reiectisq; maioribus suis, te ducem impietatis,ad occasum, interitumq; patrię,sunt secuti: quibus tu fretus,cùm tibi in tua ciuitate neq; honos neq; locus esset vllus,repētè in nostra repub.instaurator morū, restitutor religionū,ac corrector legū,extitisti: nihil veritus Regē, neq; regni reuerens legem.in quo,quantū sit tuū crimē, videro hoc posteriùs. Antequam aūt ad id,quod proposui,aggrediar, maculæ quædā eluendę mihi sunt priùs, quas tu mihi,nominique meo aspergis de tuo.

Et,

Et,ne fortè longior sim, bona tua venia,in medium iam prodeo, & abs te quæro,cuius tandē culpæ me reū facias?Apostata es,inq̃es. Qui quæso, Apostata ego sum, quē in gremio Ecclesiæ Catholicæ,grauiter,cōstanterque cernis viuere? At, sacrificulus es,inquis,quo tu verbo meā, vt opinor,à sacrificio, notas abstinentiam. Equidem, do hoc tibi, atq; concedo, me inter sacerdotes publicos, tantisper sacrificasse,quoàd licuit, & quoad fas fuit: cùm autem sacerdos duxissem vxorem,à sacrificio me funditùs remoui,&,quod Canō iubet,in ordinē redegi,ita vnus de multis factus, offero nunc Deo cor contritū & humiliatum, quod ne despiciat Deus, supplex plebe in media, posco. An ego te imitarer arrogantem,atq; contumacem?cui parùm erat visum mulieroso sacerdoti vxorem ducere, cū qua tibi connubij ius aliter nō erat, nisi si à sacrificio, & à sacris admini-

Diluūtur obiecta.

VXOR Orichouij

 stran-

ſtrandis abſtineres: ni etiā ſacrilegio ſtatas ſolēneſq; ceremonias ſacerdotij pollueres, atq; impijs ī Eccleſiā introductis ſacris, omnia ſacra vetera, vnà cũ ſacerdotio, ex Eccleſia exterminares. Hanc, inquam, ego ſingularem cõtumaciam atq; inſolentiam tuam, ad euertendam Eccleſiæ diſciplinam, vxore ducta, imitarer potiùs, quàm conſuetudini parerem, legibus cederem, denique Canonis præſcripto à ſacris vetitis abſtinerem: vt exemplo ex te ſumpto, inceſtu ſacerdotium, ſcelere verò matrimonium, cõtaminarem, pręſertim cùm ita à maioribus edocti ſumus, Sacerdoti poſt conſecrationem nubenti, ſacra facere ius non eſſe: quod ſi fecerit, inceſtũ eſſe. Vides, atq; adeò animaduertis, ſi cõtentio quædam, & comparatio inter nos fiat, te intẽperanter Eccleſiæ labefactaſſe mores, perfregiſſe leges, Canones etiam de medio ſuſtuliſſe, dũ maxima quæq;, minutis in re-

bus

bus includis, ac Sacerdotiũ cũ Matrimonio præpoſterè coniungis: quod te facere, vetabat illa Eccleſiæ regula, quæ in ſpacio curriculoque beatæ vitæ, ex imo ad ſummum progredi: non autem cõtrà regredi, nos iubet. At vide, quàm in mea parte, omnia illa, lex, mos, Canon, ſalua integraque adhuc maneant: vxorem enim ego ſacerdos, contra legem duxi: ſed idẽ tamen eius legis pœnam ſuſtinui: abrogationem nempe ſacerdotij. Hæc enim mulcta ſola ſequitur meum factum, legis atque Canonis præſcripto. Qua de re in Varſzauienſi Synodo publicè nuper à nobis eſt actum, atque diſputatũ. Eſt in manibus Oratio, in quam te commẽtarios parare audio: veruntamen, vt ſementem feceris, ita metes. Sed ad rem. Cùm factum, Stancare, in ducenda vxore, par ſit noſtrum, audi, quàm ipſius facti conditio ſit inter nos diſpar: tibi enim, in diſſenſione, ac diſſidio,

Oratio Varſzauiæ habita.

per

VXOR Stancari.

per ſummum Eccleſię contemptum, vxor ducta eſt: mihi verò, ſumma voluntate, ac iudicio ipſius Eccleſię, hęc eadem eſt adiudicata. quid ita? quia pœnam legis ſuſtinui: &, quod obedientẽ decuit, Canonis iuſſu, à ſacris me remoui: tu contrà, & pœnam legis contemnis, & ſacris te immiſces: ſi tamen, ſacra ſunt illa tua putanda, in quibus, profanum fit, quicquid eſt inter hoĩes, diuini atq; humani iuris. Quæ dũ cõtra ius, atq; fas, agis atque moliris, ſatis oſtendis, te vxorem poſſidere, non illã, quæ, Eccleſiæ præſcripto, in manum viri cõuenit, ſed hãc, quæ tãtummodò coëmptione vxor viri habetur, cũ qua tibi Eccleſiæ hoſti, non matrimonium, ſed contubernium eſt: nec, coniunctio veſtri, ſacramẽtum, ſed periurium eſſe cenſetur. Quicquid enim, extra Eccleſiam eſt, peccatum eſt. Habes de ſacrificio, & de matrimonio meo, ac tuo: nempè, alterum, quid præſtet alteri: nunc videamus

deamus

Stãcar refellitur re, nõ verbis.

deamus cætera. Grammatici nomen obiectum eſt mihi abs te, vt probrũ: perinde, ac ſi ego tibi nunc, puerorũ elementa, & non bonis artibus incẽſas faces admoueam: ac te illis perſequar fugientem, vt nuſquam iam locum habeas contra me cõſiſtendi, ita te conſcientia tranſuerſum agit, ac ꝑcipitem impellit. Itaq; homo ꝑceps ac deuius, arripis maledictum ex triuio, ac me aſinum vocas, cùm ipſe vel ob id maximè quouis aſino ſis ſtultior, qui ab imis vnguibus vſq; ad verticẽ ſummũ, filios Eccleſiæ leones eſſe, non potueris tandiu cognoſcere, præſertim cùm ab ijs ipſis vexatus, raptatus, laceratusq; ſæpe fueris. Quòd ſi adhuc, inſecti vngues noſtri in te cõficiendo quid valeãt, non ſentis, rugitus leonis illius de tribu Iuda, cuius Eccleſiã ſpernis, faxo vt æſtuantẽ ac tergiuerſantem te aliquando obruat atque opprimat, vt aliquando condiſcas, quid ſit, fugitiuũ, homines ingenuos,

nuos,

nuos, liberaliterq; educatos, inuadere, & in aliena repub. clamosum esse: cùm sis mut⁹ in tua, immò verò cùm nullam habeas tuam. Et quoniam ea quæ dixi, vera sunt adhuc omnia, ideo quoq; iustum est, vt tu desertor patriæ tuæ, hostis nostræ, quod mox apparebit, veritatis, fidei, iustitiæ, atque oīs diuinæ, atque humanæ sapientiæ partes, nobis relinquas: nobis inquā, qui in cōmunione Ecclesiæ Catholicæ viuimus, & q mutua charitate cōiūcti inter nos, atq; copulati sumus. Quādoquidem, Augustino teste, qui habet charitatem, habet omnes virtutes, omniumq; magnarum rerum atque artium scientiam. Quòd si nos eiusmodi in Ecclesiā Catholica sumus, quid de te futurum est, qui Ecclesiam contempsisti, qui altare contra altare extruxisti, q cœtus ipse tuos fecisti, qui tunicam Christi discidisti, qui vetera sacra aboleuisti, noua instituisti, pœnas legum contēpsisti, obe-

STANcar Ecclesiæ hostis.

obedientiam abiecisti: postremò religionem patriam atq; auitam prodidisti. Quæ, inquam, pœna tanto facinori debetur alia, quàm vt periurus & mendax, impius atq; fugax, triste semper agites æuum? hasq; parricidij in Ecclesiam admissi, tanquam alter Caym, pœnas dependas? vt à facie vniuersæ terræ eiectus, nusquam habeas vbi pedem ponas in tuo: vt ita, periurum te pœna maneat: diuina exitiū: humana dedecus. Et tamen adhuc, cùm vbi hæreas contra me, non habeas, detracturum te mihi esse asininam pellem, minitaris, ignarus in Polonia nullos nasci asinos: vt in Italia, nulli nascuntur leones, quibus pelles detrahantur. Sed, sim asinus, sanè nō tamen Cumanus, certè quidem, quē tu me videri vis: sed ille asinus ego sum, cui ipse Christus clitellas imposuit, atque eundem, suorum discipulorum vestimentis stratum, cōscēdit, Hierosolymā ingressurus. I tu nunc, tan-

STANcar contumeliosus in Orichouium.

Stācar asinus.

tantus ſcilicet gladiator, atq; beſtiarius, & me aſinũ, Chriſto ſubiectum, adoriare, ſpoliandum: præſertim, cũ re uera Mãtuanus ſis aſinus ille, qui, excuſſo ſeſſore Chriſto, Diabolo tergum ſubſtraueris: qui te, totũ obſeſſum, ac poſſeſſum, cũ tua familia, ducit ac tradit Orco: ut ita, tu incultus, & ſylueſtris aſinus, quem Apoſtolica ritè religauit manus, in impiorum ſedem, atq; in ſceleratorum regionem, hinc concedas infra Iudam proditorem, parricidij tui æternas pœnas daturus.

STANcar excutitur.

Sed, iam tempus eſt, vt, abſterſis, quaſi fuligine, maculis, quibꝰ me paſſim tuis ſcriptis aſperſiſti, te viciſſim inſpiciamus, ac videamus paucis, *vbi ſis, Qui ſis, Vnde ſis*: his enim capitibus rerum, excutiemus ſectam, atq; vitã tuam. Proinde, ô tu onager inculte, & indomite, cui cum ramis palmarum, ſub Chriſto domino Hieroſolymam intranti, obuiàm à pueris Hoſiãna cõcinentibus, proditum nunquam eſt: tu, inquam, aſine, quoniam te æquiparas nobis, caulas tuas velim mihi oſtendas: nam ego tibi ſtabula iam demonſtrabo mea. Eſt mihi genitrix Polonia, procreatrix Eccleſia, altrix Roxolania, patria Peremiſlia: poſtremò, Orichouianum eſt mihi natale rus, atq; ſolum. Oſtendi breuiter, omnes res noſtrę, quemadmodũ eſſent: nunc viciſſim, cuiatem te eſſe dicas, nobis oſtendas velim. Núm Mantua te genuit? at illa te vt ſpurium atque ſubditũ in locum alterius agnouit: mox, ex vrbe expulit, exterminauit, eiecit. Núm Italia te aluit? at illa, te ex numero hoĩm eijciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandũ putauit. Sed tu hoc loco ad Eccleſiã Catholicam (credo) quaſi in arcem, omnium gentium communem, confugies: vt cùm nullius ciuitatis, neq; gentis ſis, Eccleſiæ tamẽ reſpectu, totius mundi incolam atq; ciuẽ te eſſe, poſſis

Orichouij natio.

Stācar patria pulſus.

possis dicere. At vide quàm hæc inanis tibi sit gloriatio: Etenim cùm te Oriens, Occidens, Meridies atq; Septentrio, hoc est, ipse orbis terrarum, gentiumq; omnium vitat: & tanquã auspiciũ malum detestatur: quæ regio, quæ ora, quæ plaga orbis erit, quæ te incolam agnoscat, atque ciuẽ suum esse dicat? Num si ad Oriẽtem fueris profectus, Occidens te sibi vẽdicabit? aut si Meridies repetet, Septentrio suum esse cõfirmabit? immò verò, ἐς κόρακας, omnes te insulæ, portus, prouinciæ, reijcient, abigent, atque expellent: ac te in sola terrarum vltimarum, tanquam portentum cũ vestigio exterminandum putabunt: ne contagio tua bonis, vmbráue obsit: Quid ita? quia istorum omnium, cor est vnum: anima vna, & labium vnum: vniuersi isti vnum atq; idem dicunt. Quid illud est? *Vnus Deus, Vna Fides, Vnum Baptisma:* Quid præterea? *Vnum Ouile:* Quid postremò? *Vnus*

Pastor.

Stancar Anathema.

In Ecclesia vera vnũ omnes dicunt.

Pastor. Hoc ergo vnum, illud est quod dicunt, & in quo vno vniuersæ Christianorum gentes consentiunt: qui vt Deum vnum, ita & ouile confitentur vnum, atque pastorem vnũ: qui sanè pastor, Papæ nomen habet insigne, ad decus & ad gloriam: quòd pater patrum is sit: dux & signifer ouium Christi: custos pacis, ac vindex cupiditatum in ipso Christi ouili: quod sanè ouile ob huius pastoris eximiam pręstantiam, Papatus appellatur: ita, vt hæc tria, eiusdem sint rationis nomina, *Ouile, Ecclesia, atq; Papatus.* Quis dicit hoc? vniuersitas, inquam, generis humani, & consensus nationum omnium. Omni autẽ in re (vt dixit quidam) consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est. Quàm autẽ hoc verũ sit, docuit nos, nõ tantùm Ecclesiæ lex, sed etiã cõmunis vita, vsusq; rerũ. An ne hoc quidem sentis, Pij Quarti vocatu, à quatuor Patriarchalibus sedibus,

PAPA.

Papatus.

Papæ auctoritas.

 Tri-

Tridentum ad Concilium, legatos nunc mitti? Vidimus nuper, Constātinopolitani Patriarchæ, Leopoli in Roxolania, Legatum: qui in Lithuaniam illinc flexit iter, oratū Regem, ne per vos, huius regni funestam pestem, optimus Rex, gentem in Roxolania Græcam, à Romana, id aūt est, à Catholica fide, patiat̄ abduci: Atqui Legato illi viro præstāti, atq; Galatiæ Archiepiscopo, è Villa Tridentū directū est iter. Si ergo edicto Papæ, tantus Patriarcha, euocatus è patria, ita adest, ut is, q Papæ Romano parere didicit: si idem Alexandrinus, atq; Antiochenus, Patriarchæ faciūt, tres p̄stantissimi Ecclesiæ Catholicæ præsides, atq; custodes: quomodo Papam eis p̄stare negaueris: cuius vocatu, tres dij (vt ita dicam) isti veniunt: non solùm vt socij, verumetiam vt Papæ subiecti? nam, ni ita esset, nunquam illi ex edicto, neque ex Decreto Pij Quarti, in Cōcilium vocati,

ti, Tridentum, tanto interuallo, venirent. Sed valuit apud illos mos, valuit Ecclesię lex: deniq; valuit illa, in Petro vniuersis commendata vox, *Pasce agnos meos.* Quod, cùm ita sit, quam tu tandem hîc latebram perfidię tuę, in quam te cōijcias, quæres? aut, quomodo Papatū non idem, quod ouile Christi: denique, quod Ecclesiam Catholicam esse, dices? cùm luce palam videas, ipsum orbem terrarum, atque adeò ipsas cæli plagas quatuor, edicto Pii Quarti, Tridētum nūc cōcurrere? Qui Pius, inquam, Papa, Ecclesiæ cupienti, ac vestras, Stancare, hæreses exhorrescenti, tandem aliquando signum dedit, vt qui Ecclesiam saluam, ac defensam volunt esse, Tridentū, ad edictam diē, concurrāt. Hæc profectò sunt, non adumbrata, sed expressa signa, Papatum, summā potestatē esse, in Ecclesia sancta Dei. fac enim alius Patriarcharum, atque Episcoporum, aut etiam Regum, aut

Cōcilium Tridentinum.

denique mortalium omnium, Concilium Tridenti Oecumenicum edicat, aderit nemo, nemo inquam, respondebit vocatus. Quid ita? quia soli Romano Petro illud dictum est, *Tibi dabo claues, Pasce agnos meos*. Quæ diuinæ atq; cælestes voces, quoniam in solo Papa viuunt, vigentq;, ideo edicta illa Romana, quę ex hoc orbis terræ oraculo eduntur, suapte vi, & natura mouent & impellunt, atque inclinant vniuersos homines, ad parendum & obediendum summi pastoris edicto. Transfer hoc (vt dixi) in quēuis alium, nihil egeris, neque profeceris: parebit enim, & obediet inuitus nemo. Quod cùm ita sit, doce, quàm tibi cum hoc ipso Papatu conueniat: vt deinde nos, locum tibi in Ecclesia Catholica, bona cum gratia assignemus: ne vagus, ac deuius errare solus videare, in vita mortalium. Sed tamen intelligo, quàm tibi pulchrè cum Papatu cōueniat, & quàm ille

Stācar hostis Papatus.

ille cum tuis sensibus congruat. Vidi ego enim nuper, ac magno quidem cum dolore, in tuis literis illa scripta ad non neminem, legi: cuius ego reticebo nomen, ne qua ex tua summa indignitate, labes illius dignitati aspergatur. Meministín' ad quem ex Mense Februario hæc scripseris: *Doleo te cum Papatu rediisse in gratiam: nam in Papatu certum est saluari neminem.* Num fallo te? si negas, Chirographo conuincam. Si ergo tibi Papatus idē quod exitium est, quomodo cum Ecclesia Catholica consentis? aut quomodo in ouili Christi, sedem stabilē & domicilium certū habebis, cùm Papatui tantopere aduersere? qui cum Ecclesia, & cum ouili Christi idem est. Itaq; tu amisso Papatu, ex ouili Christi excidisti: Ecclesiam item, fidē postremò, atq; ipsum Deum funditùs perdidisti, qui extra Papatū, neq; scitur, neq; cognoscitur, neq; piè colitː in quo etiam oīa insunt salutaria re-

Papatus salutaris res.

media, quæ ad vitam piè degendam,
& ad salutem attinẽt æternam. In Pa
patu enim solo, via est ad vitam æter-
nã disposita: de qua, qui siue ad de-
xtram, siue ad sinistram declinãt, nul
lam lucem præsentis vitę, nullã spem
futuræ habere possunt. Hîc enim, ac
nusquã alibi, purum putum Dei vi-
uit verbum: hîc eius verbi sensus vi-
get rectus: hîc oĩm quæ fiunt, quæq;
dicuntur, ordo ac modus. Et ne in re
nota, & peruulgata multus, & inso-
lens sim, sic habeto: in solo Papatu
oẽm salutaris vitæ rationẽ rectè, atq;
ordine includi, extra quem horrent,
squallentq; oĩa: ita, vt si Papatum tol
las, nihilo plus agas, quàm si solẽ hũc
è mundo tollas: vt ita lateant omnia
crassis occultata, & circumfusa tene-
bris, sempiternaq; nocte maneant of
fusa: vt ita quasi cõmuni luce priua-
ti, omnibꝰ salutaris vitæ cõmodis cæ
ci careamus. Ad quem casum, tu no-
bis documento es: vnde enim horri-
bilis

bilis ista cæcitas euenit tibi, vt in cla
rissima rerum luce positus, inter re-
ctum & prauum, & inter verũ & fal-
sum quid intersit, nescias: & tanquã
vespertilio, etiam manifestũ lumen,
noctem putes.

Sumpsisti in Papatu Mosis legem, Stancari cæcitas.
quã statim Machometi Alchoranũ,
egressus è Papatu, reddidisti. Ita Euã
gelium quoq; in Papatu tu quidem
accepisti, sed eius Euangelij sensum
inde tecum nõ exportasti: sed ita ver
sutus & fallax in hoc deprauãdo exti
tisti, vt quę sua sponte nota erãt, atq;
apud omnes peruulgata, incerta, ob-
scuraque reddideris. Qualia sunt illa
in tuis Canonib. immò verò in tuis
deprauationibus: Viuorum cęlestiũ,
qui Deum aspiciat, esse adhuc nemi-
nem: Missam ita cantari, vt canitur,
idololatriam esse. Illa verba, *Hoc est cor
pus meum*, pro memoriali quodam ac-
cipienda esse: In cœna panem datũ,
illo corpore cassum, quod postridie

demum cruci fuerat affixum. Prætereo alia mala, nugatoriaq́; tua: quæ tu nisi ex Ecclesia exisses, & nisi ipso tal pa extra Ecclesiam cæcior esses, nunquam deprauasses: teneres vtrq; ,ac crederes illis adductus verbis: Hodie mecum eris in paradyso. Sanctos Dei homines, diuino aspectu frui: Missam etiam, Titulum esse loquentem: Titulum autem, mutam esse missam: si verè dici in Papatu intellexisses, aliter illam haberi, quàm habetur, fas esse non diceres. Nam vt Titulum, nisi Hebraicè, Græcè, atq; Latinè, perscribi nefas est, ita Missam, si eam ad Canonem reuoces, nisi eisdem linguis decantari, fas nõ est. Qua de tota re, in Mediatore nostro, copiosius est cõtra te disputatum. Iam verò, cùm illa plana, atq; pura verba, *Hoc est corpus meũ,* illo tuo, hoc significat, interpretaris obliquè: non satis doces, te sola verba ex Papatu transfugam extulisse: sensus autem istorum verborũ, in Papatu

Missa cum titulo confertũtur.

STAncari somna.

patu reliquisse. Nam hæc expositio, quam tu sequeris, nõ interpretatio, sed deprauatio verbi est. Idem enim, hæc verba deprauando facis, quod faceret caupo quispiã versutus, atq; callidus, qui ad cœnam vocatis cõuiuis, non vinum ꝙ promisit, sed hæderam signum vini, quod dissimulauit, in cauponula compotoribus suis propinaret. huic tu veteratori, similem Christum Dominũ facis? qui vt collusisse cœna in suprema nobiscũ videatur, corpus pollicitus, signum corporis panem exhibuit: & sanguinẽ professus, vinum indiciũ sanguinis nobis propinauit. Hæ præstigiæ atq; fallaciæ, Stancare, vestræ sunt, non verborum vis, & interpretatio. Quæ pura, puta verba, ideo vos deprauatis: quia caretis illa luce, quæ illuminat fideles homines: & quæ nusquam alibi, nisi in Papatu lucet, splẽdetq́; per sese semper: qua tu orbatus cùm sis, mirum non est, si obtusior sit acies tua:

In Papatu solo lux.

tua: ad hæc etiam verba in Euãgelio vsitata, ac trita consideranda: præsertim cùm pœna oĩs, quæ oculis tuis debetur, ad cæcitatem mentis sit cõuersa: quæ te cupiditate cæcũ rapit, & in sensum improbum secũ trahit: in quo tibi pereundum est, nisi resipiscis, & nisi ad Papatum redis, ex quo profugisti, extra quem nemini potest esse vita (vt ait Ennius) vitalis. Et quoniam cum Papatu & Ecclesiá, & ouile Christi pariter amisisti, noli tã sancto, augustoque Ecclesiæ nomine ad tuam desperatam fugam tegendam, abuti: noli putare te intus esse, cùm extrà proiectus sis: noli mẽtiri te inter pisces bonos in vasa conditũ teneri, cùm foràs cum malis piscib. datus atque emissus sis, quorum pisciũ illi sunt pisces pessimi: Arius, Macedonius, Eutiches, atq, Nestor. ex horum enim tu sceleratorum fraude atque mendacio vnum quoddam, tanquam marinum monstrum, cõcretus

Stancar pulsus ex Ecclesia.

es,

es, omni diritate, atq; immanitate teterrimum animal. ita vt etiam hæretici ipsi, quamuis scelerati, & impij, tamen te ex æquo omnes horreant: & quasi vnus ex ijs non esses, detestẽtur te ab se ortum, vt portentum prodigiumq; naturæ. Nihil temporis causa fingo, Stãcare: habeo enim ex Heluetia literas in te graues, quibus tu ab immanib9 illis Hæreticis, Ecclesię hostis iudicaris: & tãquam piscis mali ominis atq; nominis, in hoc vasto huius vitæ salo, conuitijs ab ijs iactaris. ita tu piscis nequam, eiectus è sagena cælestis regni, in hæreticorum plagas incidisti: è quibus nunquam te exues. quin cùm inter Catholicos non sis, ne inter hæreticos quidem tibi vllus iam restet locus: vt ita vndique fugatus pulsusq;, ad illos insipiẽtes postremò confugias, qui dicunt in cordibus suis: Non est Deus.

STANcar hæreticis inuisus.

Et hercle nomine ipso tuo, tanq̃ cõiectura certa, ducor ad suspicandũ,

STANcar Arianus.

te

te vnum ex illis esse. Grammatici em̃ certant, & in eo perseuerãt: Punicana nomina, maximam partem, Ar & Al, syllaba terminari: vt sunt Agar, Magal, Amilcar, Annibal, & quę sunt eiusdem modi cætera. Stancar quoq; vocabulum, cũ ipsius vocis sono, nescio quid Punicum recinat atq; redoleat, suspicionem affert te non Italũ, sed Pœnum esse: Punicana nõ Christiana fide præditum: & si capiendũ ex nomine, omen est, cùm in Europa nusquã sit tibi tuta fides, ad Pœnos tibi iam recurrendũ esse intelligo, à quibus ortus fuit auctor tuus Arius: homo acutus vt Pœnus, & vt tu, nimis studiosus: qui Alexandria profectus, illa mirifica sapiẽtia vestra, Ægyptum primò, deinde vicinas gentes imbuit: Patri (videlicet) consubstantialem nõ esse Filium. & cùm veluti in sacro Cereris cursus lampada, hãc amentiam alijs post se reliquisset, Macedonius exortus est in Græcia: qui erro-

Arius.

Macedonius.

rore suo Arij errorem cumulans, Spiritum sanctum infra filiũ posuit. Inde ꝓfecti Eutiches, Dioscorus atque Nestor, dogmata attulerunt, q̃bus tam Filium, q̃ Spiritum Filij fun ditùs sustulerunt: ipsi etiam Deo Patri vix, aut ne vix quidem in rerũ natura aliquid loci reliquerunt. Nam si Filius, par suo Patri non est, nec spiritus supererit filij, ex patre, filioq; cc ẽquali patri procedens, vt ijs dissimilitudinis gradibus, in diuinitatẽ introductis, Deus ipse Patris nomẽ ad extremum amittat, neque etiam Deus vllus sit omnino: Nam si is, qui alias res facit, generãtes similes specie inter ipsas atq; forma, ipse nil generabit, quod quidem par naturaliter, & illi æquale sit: genitor non erit, quia non generat: non erit etiã pater, q̃a carebit filio: non erit Deus, quia nõ erit omnipotens: cùm careat vi atq; potestate generandi, ac simile sibi ꝓcreandi: vt propter hanc sterilitatem na-

Eutiches. Nestor.

Ariana hæresis negat Deum.

Generare sibi simile, est summũ in natura.

naturæ diuinæ, atq; summã illius (vt ita dicam) orbitatem, Deus pater naturalis nullus habeatur, neq; vocet: cùm tamen extremum & vltimũ bonũ in natura sit, posse generare sibi simile: quo bono solùm carere Deũ, dicere, quanta tandem ea fuerit diuinæ maiestatis offensio? quantaq; execratio? Qua de re non solùm à Theologis, verũetiã à Philosophis copiosè disputatur. Ac vide, vt isti quatuor Euangelistæ tui, eodem pertineant omnes. Dixit Arius, Filius est creatura: Macedonius, Spiritus est creatura filij: Eutiches, Christus est cæleste corpus quoddam, ex diuina & humana mixtum natura: Postremò, dixit Nestorius: Christus homo est, non Deus: omnium istorum in hoc omnis stat error, quòd arbitrantur Deũ neq; generare aliũ sibi æqualẽ Deũ: neque hunc eũdem ex aliquo Deo, hominéue generari. Hæc igitur est fides Punica, quam Pœni maiores tui in

Euãgelistę Stancari.

Fides Punica.

in Ægypto primò fundârũt: deinde tota Græcia dissipârunt, & in vniuersas Oriẽtis plagas propagârũt. Ex hoc tu fonte, atq; ab hoc principio Punico profluxisti nobis in Poloniã Pœnulus, agitator Ariani dogmatis, atq; Nestoriani adiutor. Quid enim tibi vis illo effato tuo, *Christus Mediator est secundum humanitatem tantùm*, nisi vt credamus, Christum purum putum esse: qui absq; fine sit via, in qua postremũ illud nõ sit, in quo viator acquiescat. quẽ vtiq; huius viæ finem, diuinitatẽ Chr̃i esse, affirmat Catholica fides. Quem finem viæ, cùm huius finis via exæquãs Augustinus, diuinitus illud protulit: Humanitas absq; diuinitate, nõ est mediatrix: Diuinitas absque humanitate, non est mediatrix. vt hoc, tanquam elogio, per te ex Ecclesia sublato, diuinitate vacuum habeamus Christum. quod quidem olim sensit Dioscorus, atque Nestor: neque enim generare, neque generari

Stancar Nestorianus.

rari Deum, ab Arrio (vti iam dixi) fuerant edocti.

Peremislienſe colloquium.

Sed hoc loco, obijcitur mihi abs te Peremislienſe colloquium, in quo ais me de Mediatore tecum cõſenſiſſe. Quid ni aſſentirer tibi, Mediatoris nomen à medio duci: quod inter extrema eſt interiectum. quo ſanè reſpectu, homo Chriſtus Ieſus Mediator humanitate tãtummodò eſt. Et quoniam in illo colloquio quæſtionem attuleras: nùm peræquè Chriſtus, vt humanitate interiecta, ita diuinitate quoque intermedia, Mediator eſt. de hoc poſtremo negaui: de illo autem primo tibi conceſſi. Quorſum enim attinebat repugnare vera dicenti: id

Medij ratio.

enim quod in medio ponitur, interiectum inter extrema eſſe dicitur. Porrò illius interiecti extremum, atque vltimum, finis appellatur: quo referri omnem intermedij rationem oportet: atq; ita à colloquio diſceſsũ eſt. Sed tu pòſt tamen, cũ Catholicus ex

collo-

colloquio abijſſes, repente factus es Pœnus: ac mox redijſti ad tuos. nam ꝑ municipia Roxolanię diſcurrens, rumores improbiſſimos diſſipaſti: nẽ

Stancar calumniator

pe me hoc tibi dediſſe, atq; in eo tecũ conſenſiſſe, in Mediatore Chriſto, diuinitatẽ eſſe fruſtrà: magnũ & impudens mẽdaciũ, teſtor coronã illam, in qua diſputatũ eſt. vt eñ à te nihil de Chriſti diuinitate in diſputatione adferebatur: ita viciſſim à me, relatũ de illa nil fuit: in ſola humanitate, omnis nobis tũ ſtetit, & hæſit ſermo. Sed

Orichouij de Mediatore ſentẽtia.

ne tu auctoritate mea, áliquos inducas in falſas opiniones tuas, erroresq; turbulẽtos, ac ſuperſtitiones pene aniles: audi atq; attẽde, Stãcare, ꝙ me abs te ſegregem. Dico itaq;, ad ꝑſonã Mediatoris abſoluendã, humanitate ac diuinitate ꝑęquè opus eſſe: ratione tamẽ diuerſa. id ꝙ definitio ipſa Mediatoris apud Ioannẽ planum nobis facit. Ego ſum (inqt Chriſtus) via, veritas, ac vita. cur via? quia ꝑ me

 itur:

itur: cur veritas? quia ad me venitur: cur vita? quia in me manetur. Humanitas Christi, est via, per quam de potestate Diaboli transit ad Deum viator: Diuinitas verò, est finis viæ eius, in quo tanq̃ in extremo, atq; vltimo bonorum omniũ, idem viator acquiescit: qui finis, nõ foris petitur, sed in via ipsa inest: vt in eodẽ subiecto atque indiuiduo, & via, & huius viæ finis intus includatur. Quamobrẽ, si separatim à me requiras, vtrũ Christũ Mediatorem esse Dei & hominum, humanitate tantũ, credã: ita esse confitebor. quid ita? q̃a humanitas Christi intermedia est, quę tanq̃ via, ducit viatorem ad Deum. Rursus autem, si quæras núm diuinitate quoque sola, Mediator idem Christus sit, ita esse (dubio procul) profitebor. quid ita? qua diuinitas Christi, finis est defixus in hac via, ad quem tendit viator. Quare, si singulatim respondendum est: ita ad humanitatem solam Mediatorẽ

atorem referam, qua via ille est: vt hunc eundem ad diuinitatem solam refero, qua finis huius viæ, Deus est: At si coniunctim, in communione illa naturarum, vnam & eandem Christi personam cõsideramus: vnus & idem Christus, via, veritas, et vita, Dei & hominum Mediator est. Hæc est fides mea, Stancare, quam etiam eandem, Ecclesiæ Catholicæ esse existimo: cum qua ego errare malo, quàm tecum benè loqui: si tamen Ecclesia errare potest, quæ columna est, & firmamentum veritatis: quæ in Mediatore Christo, neque infinitam, sine fine ponit viam: neque finem in hoc eodem viatori præscribit, nulla præmonstrata via. *Fides Catholica.*

Quocirca Ecclesia Dei, dum Mediatorem Christum ponit, idem facit, quod peritus metator, ponenda via, faceret. vt em̃ is, viatori definitã fine monstrat viã, ac noĩe viæ, finem quoq; cõprehẽdit: ita Ecclesia Chri- *Ecclesiæ de mediatore sententia.*

sti, dum Mediatorem hominẽ Christum esse ponit, finem quoq; complectitur Iesu Christi nomine: id est, diuinitatem ipsam, quæ inest in Christo homine. At quoniam tu à Mediatoris officio diuinitatem Christi illa vocula, *Tantùm*, apertè excludis, nunquã effugies, quin Christum cum Nestorio diuidas, hominemq; illum esse, purum putũ dicas. Nam quòd erroris tui Paulum auctorem producis, ex illis verbis: Vnus enĩ Deus, vnus & Mediator Dei et hoĩm, homo Christus Iesus: Id contra te facit: ac te Nestorianæ perfidiæ, maximopere coarguit. Neque enim illud tuum improbũ, & perfidiosum, *Tantùm*, in ijs Pauli verbis, vsquam apparet: vtpote cũ nihil ad Mediatorem Christum attineat. Paulus enim dilucidè planeq;, homine atq; Iesu, Mediatorem Christum ita circumscribit, & definit: vt hominẽ ad Christi humanitatem, Iesum verò ad ipsius diuinitatẽ referat.

STANcar Christum diuidit.

Porrò

Porrò nomine Iesu diuinitatẽ notari, vir pius atq; doctus Bernardus, in sermone de Circumcisiõe Dñi, infra scriptis verbis testatũ: Magnũ & mirabile sacramentũ, circũciditur puer, & vocatur Iesus. Et infrà: Sed agnosce Mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipso natiuitatis suæ exordio, diuinis humana sociat, ima summis. Et infrà, Circũcisio veritatẽ susceptę probat humanitatis: & nomen quod est super omne nomẽ, gloriã indicat maiestatis. Circũcidit tanq̃ verus Abrahæ filius: Iesus vocatur tanquã filius Dei. Hæc ille. Ergo Paulus non pro te, sed contra te est: dum Mediatorẽ Christũ, homine atque Iesu, hoc est, Dei filio comprehendit. Tu verò, dũ Paulo illud tuum, *Tantùm*, inijcis, q̃d moliris, aut conaris aliud, quàm vt diuinitatẽ à Christi persona, cũ Nestorio funditùs excludas? Aut ergo delenda tibi est illa vocula, *Tantùm*, qua Mediatorem circumscribis: si

Nomẽ Iesus, dei nomen est.

Bernardi verba.

Paulus refellit Stancarum.

 rem

rem & sententiam Pauli, tecum facere probas: aut si hanc voculā Mediatori Christo inseris, confiteare Christum diuinitate cassum, atque inanē te ponere.

Stancar blasphemus in Christū.

At idipsum te studere, indicio nobis est, de Sacramento altaris tuum, Stancare, commentum. quid enim quæso tibi vis, cùm in sacramento altaris Christū, ita vt natus ille est, negas adesse præsentem? & cùm illius corpus certo cęli, quasi locas solio, diuinitatem autem eius hìc in terris etiam versari nobiscum, & ad sua sacra adesse, non abnutas? nisi ne Christus Deus & homo, vnum quoddam indiuiduum esse à nobis credatur? quā sententiā si in manus sumas atq; totā explices, nil nisi fidem Punicam quā suprà exposui, illam esse dicas. Quid enim refert vtrum dicas, Christus nō est vbiq;, an Christus non est Deus. nam esse vbique, Dei est proprium: quod enim vbique est, idem Deus sit ne-

Vbique est Christus.

necesse est: & quod Deus est, id quoque necessariò est vbiq;. Ergo si Christus non est vbiq;, Christus omnino Deus non est. Hìc tu nolo illā quæras latebrā errori tuo, qua soles, tanquā atramento Sepia, te tutari apud imperitos. Christus est vbiq; diuinitate, Christus non est vbique humanitate. neq; enim distinctio naturarum quæ in Christo sunt, controuersiā facit, vtrum videlicet diuinitate, an ne humanitate Christus sit, nec ne sit vbique. sed núm illud ipsum indiuiduum, vel potius vnitas illa personæ Christi, gemina constans natura, quę de aluo virginali integro castissimoque prodijt: ad tres in diuinitate personas, nullam addiderit agnascendo personam quartam: & núm illud indiuiduum, natum ex virgine, cū patre & spiritu ita vnum sit: vt vbiubi Deus pater & Deus spiritus sit, ibidē in carne sua adsit natus quoq; Deus filius. quòd si alicubi diuinitate eius

 præ-

præſente, de hac humanitas eius abfuerit, ſequetur neceſſariò ex carne ac verbo vnum indiuiduum naturaliter factum nō eſſe: aut ſi vnum indiuiduum illud eſt, diuina & humana conſtans natura, vnum è duobus ſequi eſt neceſſę: aut Deo patri ſuo diuinitate æqualem filium non eſſe, cùm illi haud ſcio, an præcipua conditio diuinitatis illa deſit, eſſe vbiq;, vt voluit Arrius: aut hominem illū Deo vacuū eſſe, vt poſuit Neſtorius. Quis enim non videt eò rem ſpectare totam? vt cùm Deus trinus & vnus, hîc in terris etiam nobiſcum ſit præſens, cælumq; atq; terram idē impleat, ſi humana filij caro cælô ſeclusa abfuerit in terris à perſona filij, q̄n Deus & homo nō ſit vnus Chr̄s, ſed ſint duæ perſonæ: quarum altera, humanitatem Chriſti in cælo: altera verò, diuinitatē Chr̄i in terris, ſeparatim cōtineat. Nō ergo verbū caro factum eſt ita, vt vna eademq; vnione,

Dei

Dei filius vnitus ſit animę & carni: quādoquidem in terris Deus homo non eſt, ille qui terris excedens clauditur nunc cęlô. Atqui hæc eſt illa ad vnguē Neſtorij ſecta, q̄ duas in vna Christi perſona naturas diuinitùs copulatas, errore diuellebat: ac Deum ab homine ſeparabat, quo myſteriū ſalutis noſtræ funditùs deleret. Huiꝰ tu tanq̄ alter hæres ſentētiæ, animaduertíſne qualia nam ex Africa tua in Poloniam noſtram mōſtra importaueris primus? vt ſi iam tantum regnū horum cōtagione malorum afflictū cadat, quod dij omen obruant: te auctore vili, eoq; Pœno cecidiſſe videatur. vt ita nos Poloni, Stancarana ſecta cadamus, vt Arriana hæreſi Alexandria, cūctaq; Ægyptus, tum vniuerſa Grȩcia cecidit: atq; eius perfidiæ Arrianæ, in teterrima ſeruitute, horribiles illa nunc dat pœnas.

Neſtorij ſecta.

Stācar primus in Poloniam Arrianus.

Vtinā verò, Stancare, vel ipſo tuo nomine, fidem Punicā olfeciſſemus

tuam,

tuam, cùm primùm illã multis perfidiæ inuolucris obtectã, in Poloniam inferebas: nunquam eas turbas adueniens nobis dedisses, nunq̃ in summum certamen atq; discrimen patriã nostram adduxisses. At cùm nos Opici literaturã illã tuam Hebraicam stupemus, cumq; te patria profugũ naufragumque regno ac mœnibus nostris recipimus, ac te in Polonia sedes, ac domiciliũ collocare patimur, in impiam & capitalem fraudem illã incidimus: vt non tantùm locũ daremus inter nos, sed etiam tibi erudiẽdã publicè in nobilissimo totius Sármatiæ Gymnasio, Cracouiæ pubem traderemus, quasi homini docto, pio item atque Catholico viro. Sed simulatio nulla est diuturna. obrepseras enim ad nos, vt vellere suo amicta ouis: verùm oblitus tui, in illo Gymnasio cùm vlulare incepisti, mox te vlulatu ipso lupũ esse prodidisti. Redi enim in memoriam, atq, illam diẽ re-

Stanc. Cracouiæ docet.

recordare, qua tu Psalmum illum, *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus, &c.* enarrasti: quid tum egeris ac dixeris: quæ tua tum ignoratio tui? quæ inscitia? aut quæ impietas fuit? cùm q̃dem quasi Gygantum dux, bellũ ipsi cælo atque cælitibus omnibus inferres, atque omnes de cælo exturbare conarere: tãta quidem impressione, vt etiam virginem matrem necdum in cælo esse, Christumque coràm intueri negares: & nisi Nicolaus Szadek Gymnasiarchus, Samuëlem Cracouiensem Episcopum per literas admonuisset, te nõ id agere, vt Psalmos interpretarere ex pacto, sed vt Psalmos ipsos funditùs euerteres, in quibus honorem suum Christus cũ sanctis suis apertè partitur: non erat nobis diutius Cracouię abs te expectanda Punica illa vox: *Christus non est Deus.* Itaque tu eius impiæ fraudis ergò captus, ac Lipouicium in custodiã ab Episcopo illo dat⁹ fuisti: vnde posteà cu-

Stancar capitur.

custodibus precio corruptis, furtim elapsus, Pinczouium, Cracouiensis municipij oppidum, te contulisti: vnde tanquam ex equo Troiano, innumerabiles viri in nostra repub. omni præstantia virtutis excellentes prodierunt. Hinc enim in Polonia *Cardinales*, hinc Archiepiscopi, Palatini, Castellani, auctores publici consilij, atq; bello duces strenui extiterunt. Hunc ergo tu locũ honestissimũ, ac reipub. saluberrimum, ausus es hæreticorũ primus, cõtagione sceleris Arriani contaminare: vt quod oppidũ, patrũ auorũq; memoria fuerat templum pietatis, ac domicilium religionis, in id tu excitatos ab inferis, illos hoĩes veteres, impios atq; sceleratos, Arrios, Macedonios, Eutichetas atq; Nestorios, ausus es introducere.

Pinczouiẽsis familię laus.

Quàm autem verũ sit id, quod tibi crimini nunc do, testis locuples tu ipse es, qui Franciscum Lysmaninũ, Petrum Statorium, Martinum Crouiciũ, ac totã Pinczouianã scholam, Arriani dogmatis insimulas: vt illi te vicissim Nestoriani criminis conuincunt. Atqui rem ita esse, aude negare, si potes: in manibus sunt scripta tua, quibus Arrianismi Pinczouienses oẽs reos facis: tibi etiã nõ alia causa è Pinczouio fugæ turpis fuit, ꝑter Nestoris sectã, ob quã tu & oppido, & cõmercio ab Arrianis illis exterminatus es. Tu, tu inq̃ Stãcare, illas Arrianas faces, iam olim orbis terrę cõsensu cum Arrio extinctas, in Polonia ab integro incendisti: Tu Macedoniũ, tu Euticheteın, tu Nestoriũ: qui aut vnde essent, quidue profiterent singuli, Pinczouiũ docuisti primus. Tu indagator Arrianæ prauitatis, tu auctor Macedoniani sceleris, tu ꝓpagator Nestorianę execratiõis, tu amplificator Zuinglianæ ĩpietatis, oppido in illo extitisti: & cùm ab hac Punicana hæresi satis scitè instructus, & compositus grassator in illud oppi-

Pinczouiẽses conuincuntur Arrianismi.

Stancar Pinczouiũ sectis vastat.

oppidum inuasisses, quid erat tã sanctum legibus, quid tam augustũ religionibus, quod nõ violasset inibi audacia tua? reminiscere paulisper, atq; recordare, quódnam principium dedisti illic aduueniens: mox enim Punico incitatus furore, in templa irruisti, imagines diuorum sustulisti, memorias martyrum deleuisti, altaria euertisti, sacra profanasti, gazam Ecclesiasticam diripuisti, denique sacerdotes publicos ex oppido exterminasti: Postremò, vt tanquã ex Syngrapha, agere ac rapere nos doceres omnia, Canones reformatorios nobis conscripsisti: quorum Canonũ illa summa est, vt licere nobis arbitremur, vetera patrum instituta, nouis impietatibus permutare: veteres religiones abrogare, nouas instituere, bona sacerdotum diripere, & in illorum locum alios substituere: Regi non parendum, nisi pręscripto tuo imperanti: Sacerdoti non obediendum, nisi iussu

Cano. edi-ti à Stanc.

iussu tuo Ecclesiæ præsidẽti. Hę sunt leges, hi Canones viuendi, primo aduentu tuo Pinczouij à te conscripti. hoc etiam munus abs te illo in oppido editum est, dormitantibus Pontificibus, oscitantibus verò Magistratibus: qui dum tibi, furoriq; tuo in illa reipub. nocte tẽpore non occurrunt, quàm ipsi suo decori defuerint, præsens iã sensit: postera etiã ætas, nepotesq; nostri, magno suo malo, experientur. Quorũ, quæ & quanta, Dij immortales, illa de nobis fuerit querela? quòd non eadem hæc illis incolumia, ac salua restituimus: quæ à maioribus nostris ꝑ manus tradita accepimus. O custodiã nostri patrimonij infelicem. O miseros & ærũnosos posteros nostros, quibus nullam partem sanæ, & saluæ reipub. gustare, nobis auctoribus, licebit.

Magistratus negligentia.

Sed tamẽ cũ te furiam, ex sedibus hærebi vnã, luctificáq; Alecto, hoiẽs non ꝓhiberent: & tu æquè sacra atq; profa-

STAncar Pinczouio pellitur.

profana rueres, raperes, ac passim op
pido in illo sterneres omnia: Deus
ipse, misertus nostri, interea loci diu-
tius te furere noluit: sed ex eadem pe
ste tua, quasi ex Eumenidum sede, ex
citatos, tanquam Megeras quasdam
illas, in te parentem, atq; creatoré in
Polonia huius familiæ Sacramenta-
riæ, Lysmaninum, Statorium, Scebre
sinum, atq; Blandratam, mitto alios,
immisit: qui te, quod furias Tartare-
as decet, genitorem suum, intestino
morsu lacerarent, atq; conficerent.
Quo quidem in certamine diro atq;
horrifico, idem vobis euenit, quòd vi
peris solet: quæ cũ sunt commissę, im
becilla à valẽtiore laniatᷣ: vt ita lace-
rata, ad extremũ communi concedat
ex antro, atq; aliud inde petat latibu-
lũ, in quo recreetᷣ. quod vobis quoq;
vsu euenisse videmus. cũ enim tu im-
pressionem Arrianorum Pinczouiẽ-
sium non ferres, ac plagas atq; mor-
tem metueres, eiectus illinc, in oppi-
dum

dum Russiæ deuium Dubecium pro fugisti: vt ex illa iactatione Arriana, in hoc recessu, naufragus te potissimũ reficeres, ac recreares, vbi tibi de tua hæresi molestus esset nemo. Cæterũ non id agitur nunc abs te, vt veteris perfidiæ maculas, noua emẽdatione, intereà loci eluas: sed vt illa consilia, contra salutem Ecclesię dudum inita, per ocium expedias. Itaq; fit magna mutatio loci, non autem ingenij tui dum te Dubecium è Pinczouio trãs fers. nam mox quàm illuc venisti, nõ tanquam vnus è schola declamator ad clepsydram latras, sed vt Politicus legislator, leges ad normam promul gas: quibus iuuentutem Regni de-prauas atq; disciplinam reipubl. no-stræ labefactas.

Stãcar Dubecium vẽnit.

Stancar legislator.

Exhibe quæso, Francisce Stan-care, exhibe librarium illud legum tu arum, atque Polonis spectandum ꝓ pone, vt Poloni, serò licet, sed tamen aliquãdo intelligant, vt tu Maiestatẽ

Stãcar maiestatis re

D 2 huius

huius Regni per scelus, atq; latrocinium minueris: cúm homo priuatus atque alienigena, ea q̃ solius regis sunt, in Polonia contra auctoritatem, maiestatemque regiam, rogas atq; administras. nam quantum tandem hoc crimen maiestatis est? quòd hunc Canonem, tãquàm machinam ad expugnandam rempubl. nobis proponas, infrascriptis verbis.

EX PRÆFATIONE Canonum Stancari, ad Maiestatem Regiam.

Quòd si M. T. hoc sacrosanctum, & necessarium officium neglexerit, nobiles tui, qui & ipsi gladium gestant, auctoritate diuina, tenentur & debent, Sathanæ & eius religioni ualedicere: atq; Christo, & uerbo eius se totos consecrare. Immò quilibet à Deo mandatum habet, ut inuito etiam toto mundo (in causa religionis loquor) doctrinam Filij Dei amplectatur: attestante uoce illa cælitus delata, Hunc audite. *Vnde Apostoli dixerunt principibus sacerdotum: Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus.*

Anne

Anne hoc Canone, illa summa potestas maiestatis atq; imperij, de re pub. nostra nõ tollit? an nõ lege Apuleia, immò lege Polona, capitis pœna debetur tibi? qui summũ regis imperium, cum subiecta illi nobilitate communicas? Quid enim superit regi? aut quid iam præstat rex mihi? si lege tua in Polonia gladius omnibus patet: & æquè promptus est mihi & alijs, vt ipsi regi? Atqui hic est ille gladius vester, Stancare, cuius mucronem vos Hæretici in republ. nostra, ita defigere cogitatis, vt illum in Boëmia olim, nuper verò in Germania, atque Anglia defixistis: vt ad extremum dissidio domestico, belloq; ciuili exorbeatur sanguis noster, ac iugulis nostris gladius iste vester hebetetur. Sed te ocij & pacis hostẽ, cũ Canone tuo tam lepido, magnus ille æternis supplicijs, tam viuum quàm mortuũ, mactet Iupiter: qui præter Sigismundum Augustum Iagellonẽ,

Regis Maiestas læditur.

GLAdius Hæredicorum.

 gla-

gladium in Polonia mortalium aliũ ferre voluit neminem. Tu etiã Sigismunde Auguste, optime atq; clemẽtissime REX, quib9 oculis aspicis hęc? an hæc verborum portenta tuas patientissimas aures non offendunt? En hic fugitiuus, summum ius maiestatis atq; imperij tui, cũ tibi subiecta nobilitate cõmunicat. En gladium nobis in manum dat, gladio ex altera parte respõdentem tuo. En viã demonstrat nobis, qua obedientiam abijciamus: nec tibi repugnanti pareamus, cui sumus subiecti, omni diuina atq; humana lege. Quo etiam maiore malo mactandus est abs te hic Italicus latro, qui te tam iustum, atque clementem Regem, ab Auis atque Atauis in Polonia regnantem, exæquare cum tibi subiectis ausus est. Vide atque animaduerte, Magnanime REX, quorsum euadat istorum latronum impunita licentia. Gladium hic nobis fabricat contra tę, subiectos

Hæreticorum licentia peribit regnum.

tecum

tecum exæquat, modum nouandarũ rerum nobis demonstrat: & tamen hic viuit. Viuit? immò verò viuente, vidente, ac sentiente te, in tuo regno quas vult fert leges, & illas nobis præscribit, legibus patrijs cõtrarias. O dij immortales, vbínam gentium sumus, aut quid denique speramus, si istius hæc tanta læsæ maiestatis iniuria, impunita discesserit. profectò enim, vt res ire cœpit, Boëmica, Germanica, atque Anglicana, nihil iam nos morantur fata, quin amissa republica, sine legibus atque Magistratibus, dissipati hæresibus, triste agitemus æuum. Sed tamen in hoc occasu nostro, heus tu ô Stancare, scire ex te volo, quænam te regni lex docuit, nobilitatem Polonicam suũ quoq; habere gladium, regio gladio aduersum? aut qui Polonus mos fugitiuo tibi oñdit, ius esse nobilitati, semoto rege, nouis rebus studere, & ad summã regni posse absq; rege cõsulere?

In Polonia solus Rex gladium portat.

 Nos

Nos enim Poloni, ita legibus atque maiorum institutis edocti sumus, in Polonia præter regem, auctorem pacis, ac vindicem libertatis nostrę, qui gladium portet, esse prorsus aliū neminē. Quòd si q gladius penes nobilitatem alter est, is in vagina manet cōditus: nec priùs à nobis educitur, quàm rex sub vexillo signum pugnæ in hostem dederit: ad eundem modum, conuētus agere, & rempub. gerere, nisi rex auctor fuerit, tam non licet, quàm latrocinari apud nos licet nemini. Quapropter, abi tu hinc in malam crucem, malumq; cruciatum, cum gladio tuo, & cum istis Canonibus tuis tortuosis, quibus deprauare Poloniam, & euertere conaris. Nos enim hac lege subiecti nostro regi sumus, vt illo armato vno, nos in Polonia æqualiter omnes inermes simus: ex illo pendeamus, illius auctoritate nitamur: deniq; signum ab illo expectemus, quo concurra-

Apud Polonos magna auctoritas regis.

curramus, & quid publicè agamus vniuersi. Magnum nomen est apud nos, magna dignitas, magna maiestas Regis, quē vt Dei forma ac specie præditum miramur, atque sequimur cuncti.

Sed vide atq; attende, Stancare, quorsum serpat peccādi libido, cùm enim de maiestate Regis tātum detraxisses, quantum libitum est tibi, mox ad alterum Magistratum euertendum, nempe ad Pontifices ipsos transis, quos cum vestigio è regno exterminas: vt sublato sacerdotio, tollatur etiam summa illa regni lex, quæ regio sacramento continetur. in quo est hoc expressum, vt tam Sacerdos, quàm plebs, in ditiōe regia, & retinendi, & amittendi iuris sui, summam haberet potestatem. Contra hoc Sacramentū facit hic Canon tuus, quo sacerdotes è regno pellis, & bona eorum diripis: vt ita præ Canonibꝰ tuis reformatorijs, citò apud

Pontifices è Polonia tolluntur.

nos omnia ex libertate, in seruitutē concidant. Sed Canonem ipsum audiamus.

STANCARI CANON XI.

Et quoniam quatuor sunt. Et infrà: Et quoniā nobis nō sunt tales Episcopi, quales doctrina Apostolica, & ueterū Canones præscribunt: ideo prospiciemus de alijs, qui non quæstum, nō dignitatē regalem, neq; diuitias capientes, sed officium desiderantes, exequantur. Tales enim Episcopos, qui non officium, sed quæstū, sed dignitates mundanas, sed diuitias quærunt, fugiendos nobis describunt sacræ literæ. Et infrà: Dabimus itaq; operam, ut non nisi idonei ministri eligantur, & nemini eorum citò manus imponantur: sed uiri constituantur boni testimonij, pleni Spiritu sancto & sapientia.

Sacramentum Regis violatur.

Quam tu tandem hoc Canone in Polonia moliris ac struis pestem? aut quantam ad licentiam iuuentuti imperitæ aperis fenestram? nos scilicet, de tui Canonis sentētia, Episcopos, hoc est, antiquiorem reip. nostrę partem, è regno pellemus? ac bona illorum

rū diripiemus? q̄ ministris abs te in illorū locū suffectis, attribuamus? At ne id fiat, sacramentū Regis obstat, quo se Rex noster regno suo obligauit illo die, cùm illi Archiepiscopus Gneznensis diadema imponebat. nihílne illud ad salutē Episcoporum & Ecclesiarū valebit? nihil (inq̃s) salus populi suprema lex esto, q̄ in Idololatria Papistica periclitatū tota: ad quā tuēdā, Rex sacramēto obligatū nullo. hęc tua ratio est. Sed intereà dū istos idololatras è regno pellimus, quos tu tādē ꝓ ijs alios, cælicolas scilicet, nobis substitues? Eos (inquis) qui dabūtur à me. Sed q̃s tu es, qui sacramento Regem in Polonia liberes? q. Episcopos à prima Christianæ fidei origine in Polonia institutos, loco & ordine suo moueas? & pro ijs nobis de fugitiuorū tuorū grege alios Episcopos substituas? q. Ecclesijs præsint, q. primo loco in Senatu sententiam dicant, & qui regio capiti apicē imponant?

Episcoporum auctoritas in Polonia.

nant? hoc nos tantum, tam pręstans, tam eximium munus, ab Stancaro fugitiuo petemus potius, quàm de illius sacrosancta manu illud capiemus, cui illud est dictum, *Pasce agnos meos?* Quid est, Stancare, aliud furere, si hoc non est, summum regni ordinem, omni dignitate spoliare, & eam ad humiles & ad fugitiuos velle trãsferre? Iam cùm sacerdotum bona diripienda audè das plebi, non apertè furis, atque in nostra patria bacchari vinolentus? An tu nõ vinciẽdus, non loris cõstringendus es? qui hac rapinarum illecebra, ad domesticum latrocinium, apud nos inuitas imperitam plebem? Nę tu pulchrè iam in Polonia processisti: Nactus enim es complures nimium dociles ad tuos Canones discipulos, qui pulsis è Parochijs sacerdotibus, diripuerunt patrimonium Ecclesiæ Christi: & per Canonem tuum id sibi licere putârunt, quod ne Regi quidem ipsi per leges

STancari furor.

Ecclesiarũ bona direpta.

leges in Polonia licet. Nemini enim apud nos vis infertur, nemo bonis multatur, neque sedibus suis à rege pellitur priùs, quàm in cõmuni Baronum regni iudicio fuerit regi condemnatus. Hac lege satis contra vim etiam regiam munita sunt sua in Polonia bona cuique: cùm tamen nulla lex apud nos esset, quę reliqua aduersus vim atque impressionem tui Canonis sacerdotum illorum fortunas tutaretur: quin nullo iudice, nulla lege cõuicti, iuxtà sacris ac profanis bonis suis exuti, rem fortunasque suas amitterent. Quo enim in iudicio, aut quo iudice legitimo, quaúe lege sacerdotes illi, quorum bona diripuistis, rerum capitaliũ rei à vobis facti, sunt cõdemnati? Non fuit vllum de ijs iudicium, Stancare: non fuit gladius ille tuus, quem in Polonia primus nobilitati in manum dedisti: iudex sacerdotum illorũ fuit, cuius gladij mucro quàm acer sit, in sacerdotibus

In Sacerdotibus communis violatur libertas.

tibus experti sumus: in visceribus huius regni aciem illius, nisi nos Deus respicit, paulò post experturi. Nā si sacerdotes per vim, atq; per seditionē vestrā, bona sua in Polonia amittent, quomodo hæc eadē cæteri oēs in dissidio, belloq; ciuili retinebunt? ꝑsertim cùm sacerdotū fundi eo iure in Polonia sint, quo q sunt optimo.

Sed cùm tu hunc in modum regis maiestatē minueris, sacerdotalē verò auctoritatē funditùs sustuleris, restat videre, quæ reliqui apud nos summa fiat: vt quantum tibi præclaro Canonum talium apud nos auctori debeamus, liquidius cognoscamus.

STANCARI CANON reformatorius XVI.

VT autem tales in Ecclesia ministri, de quibus diximus, haberi queant, constituemus (Deo fauente) scholam puræ & synceræ Theologiæ, cui præficiemus uiros solidè doctos, & uerè Deum timentes. Addemus etiam & linguas, necnon & Dialecticen, & Rhetoricen, si Ecclesiarū nostra-

rum facultates tulerint: Immò Ecclesiarū thesauros in hunc sacrosanctum usum, in promouendo regnum Dei, bona fide conuertemus, &c.

Vt impurus heluo turbat Remp. Scholā em̄ Theologiæ hoc Canone in Polonia instauraturum se pollicetur, de Sacerdotū bonis. ô impudentiam animaduertendā. Sed quis tandem Deorum aut hominū, locum tibi in nostra patria assignauit: in quo tu huic scholæ tuæ Theologicæ sedē collocares? quis autē te in nostra patria hominem aduenā & exulē, inopem & vagum, opera publica exædificare iussit? aut q tu es? qui hoc munus in Polonia vsurpes tibi? cùm sit opus vnū Regiū hoc maximè, Gymnasia instituere, scholis locū in ijs deligere, artes ꝓbare, quibus iuuentus erudiat̄ ad ciuitatis disciplinā. id qđ à VVladislao Iagellone, huius Augusti, optimi Regis nostri proauo, clarissimo atq; bellicosissimo rege, absolutū atq; ꝑfectū est, annis ab hīc plus centum

STANcar Scholam condit.

Gymnasia ædificare opus regiū est.

centum ſexaginta: qui Cracouiæ, in principe totius Sarmatiæ vrbe, nobi lisſimum Gymnaſium condidit: atq; excellentes ingenio atq; doctrina viros, in illud introduxit primus, q ad humanitatem huius regni informarent pubem. Itaq; ab hoc initio oīm bonarum atq; magnarum artium diſciplina profecta, vſq; ad memoriam noſtram in hoc Gymnaſio remāſit: tanta quidem vtilitate gentis noſtrę, atq; gloria, vt quicquid pietatis, quicquid religionis, quicquid deniq; bonæ frugis in Polonia vſquam eſt, id vniuerſum Gymnaſio Iagellano referatur à nobis acceptū. Ab illo enim fonte atq; capite, profluxerunt in Polonia oēs liberales doctrinæ & ingenuæ, ſine quibus ferū & immane eſt, quicquid in moribus hominū vſpiā eſt. Quid enim homo ignauus atque iners aliud eſt, quàm buſtum quoddam, & vt quidam ait, inſepulta viui hominis ſepultura? Nolo hoc in loco ſigil-

Gymnaſiū Cracouienſe.

ſigillatim harū liberaliū artium Magiſtros proferre, q doctrinis, atq; ingenij laude in illo Gymnaſio & olim viguerunt, & nunc florent maximè. ſiue tu eruditum puluerem illum Mathematicorum ſpectes, ſiue obſcuritatem naturæ conſideres, ſiue ad legū iuriſq; prudentiam animum referas, ſiue Theologiam cogites, non hanc veſtrā, Stancare, emētitā, zelo atq; cōtentione plenam: ſed illam veram, cuius hæc veſtra ęmula, atq; pellex eſt: quæ Cracouienſium inquā Theologorum Theologia, vt apud Iacobum eſt, primùm quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiæ & fructibus bonis, iudicās ſine ſimulatione. Huiuſmodi ſcholā, tanq domicilium quoddā Theologiæ, ab Iagellone rege Cracouiæ olim habemus conditā: cui tu dū ſcholā aliā, neſcio quam, tanquā æmulam & aduerſariā grauē cōparas, quid agis aliud, quā vt

opus illud Iagellonis regium vetus, hac tua noua ſchola, tanquam machina appoſita, labefactes, deijcias, atq; euertas? O nos ferreos, qui hæc te conari patimur impunè.

THEologia Stancari. Sed tamen ô noſter Lycurge, quoniam te latore vniuerſam remp. noſtram, quaſi Penelopes telam retexere iam liber, quam tandem tu in hac tua, quam ſtatuis, Academia, Theologiam traditurus nobis es? eámne, cũ qua è Pinczouienſi Lycæo, abs te cõdito, pulſus ac ſpretus es? At illam Neſtorianam eſſe, Pinczouienſes Peripatetici tui, abs te profecti, coarguunt: & hãc eandẽ Punicanam eſſe, omnes Catholici conuincunt. Bene igitur habet, cùm tuam Theologiam, quam tu nobis obtrudis, & amici, & aduerſarij tui exagitent, vt noxiam illã Epimethei Pandorã: in qua, Dei permiſſu, ad humani generis peſtem, omnia inſunt veneficia: atque omnes doli, machinæ, fallacię, præſtigiæ veterum hære-

hæreticorum, in hac eadem facilè deprehenduntur incluſæ. quæ quantò tectior, tantò eſt nocentior, dum aciem animorum noſtrorũ illo verborum ſplendore perſtringit *Eccleſia, Concilia, Patres.* Sed vt quaſi præteriẽs, hũc fucũ quoq; tibi eripiã, ſi Stancare agnoſcis Patres, cum Patribus ad communionem Eccleſiæ conſenti: ſi Cõcilijs auſcultas, Concilia in ſummo Paſtore Romæ conſtituendo audi: ſi Eccleſiam iactas, partem eius, in qua viuis, defini. rem enim opinor ſpectari oportere, non verba. Quod ſi nulla Eccleſiæ in parte viuis, ſi ſummum paſtorem Romæ contemnis, ſi patrũ fide ſimplici ad tuas ſimulationes abuteris, tam tu Theologus es, quàm eſt Geometres ille, qui in Geometrica omnibus aduerſatur Geometris, diſſidens ab ijs in omni intelligentia, notioneque communi. Omnes enim Theologi, id autem eſt, omnes Chriſtiani homines pij, ac viri ritè colen-

Fucus Stãcari.

colentes Deum, statuunt esse in terris coetum aspectabilem hominum timentium ac laudantium Deum, quatuor cęli plagis inclusum: in quo ciuitas est illa sancta Hierosolyma, quatuor patriarchalibus sedib9, sub vno pastore Romano Petro definita, atq; circũscripta. Ab hoc tali coetu, immo ab hac Ecclesia Catholica, studio ac volũtate quoniã abhorres, noli mẽtiri, te in Ecclesia ætatem agere, vel Concilijs parere, vel in patrũ auctoritatibus acquiescere: cũ & patrum, & Cõciliorũ, & Ecclesiæ hostis apertè deprehendare. neq; Theologũ te esse dicito potiùs, quã verorũ Theologorũ hostẽ. Postremò, neq; Theologiã artem hãc, qua tu te vẽditas, potius, q̃ sectam ex vetere turba, & colluuione hęreticorum depromptam appelles, vt ita rei atq; verbi, par sit apud te ratio.

Sed tamen, vt ad id quod proposui redeam, si fastidimus Theologiam

am tuam, at Dialecticen (credo) recipiemus. ô ratiocinationem miseram, atque infelicem. siquidem nos discimus abs te argumenti conclusionem: qui non è fumo (vt ille ait) dare lucem cogitas, sed vt lucem nobis eripias, & quasi noctem quãdam rebus offundas, id agis. Legat qui vult scripta tua, nihil in ijs consonum rationi scriptũ reperiet. Dij boni, qualibus ac quantis illa tua scatent mendis, quibus quasi captionibus, & pręstigijs circumueniuntur abs te imperiti? Nam cùm ἀπόδειξις, quæ demõstratio Latinis est, sit ratio rei dubiæ faciens fidem: dic per Mercurium ipsum vafrum & callidum deum, quídnam certi, exploratique penes te habeas, quo tu reb9 apud nos dubijs facias fidem? Et ne longius à Canonibus tuis abeam, rempublicam nostrã, atque in ea Ecclesiam te velle constituere, Canonibus tuis ostẽdis, infrascriptis ad Maiestatem Regiã verbis.

Dialectica Stancari.

STANCAR EX PRÆfatione Canonum ad Maieſtatem Regiam.

Statim à quibuſdam nobilibus tuis pijs legitimè uocatus fui, ut ſuas Eccleſias reformarem: & in illis puram Chriſti doctrinã pro falſa, ac uerã religionis pietatem pro impio cultu idololatrico, reſtituerem: mores ac diſciplinã tam cleri ſui, quam populorum ſuorũ, corrigerẽ. hic ſtatim hos Canones reformationis conſcripſi, & reformationem ipſam non temerè ſum aggreſſus.

Quæ malum eſt iſta argumentatio? à quibuſdã nobilib⁹ tuis, ô Polone Rex, priuatim in tuum regnum uocatus ſum: ergo vniuerſam rempublicã atque in ea Eccleſiam regni tui ego Stancar corrigam, atque cõſtituam. Quis Dialecticorum argumentatus iſto modo vnquã eſt? aut quis ex parte totũ, atq; adeo ipſum vniuersũ vnquã collegit? Quæ eſt iſta obſecro tua Dialectica, quæ nos delirare non autem argumentari docet? nam quantum ad concluſionem huius tui argumenti atti-

Paralogiſmus Stancari.

attinet, demonſtrandum tibi priùs fuerat, illis ipſis quibuſdam nobilib⁹, à quibus te vocatum eſſe in Poloniã ſcribis, licuiſſe per leges, atq; iura regni, corrigendæ reip. atq; conſtituendæ Eccleſię cauſa, priuato officio, nulla autem auctoritate publica, tantũ munus priuatim in Polonia tibi aſſignare. Quod quoniam non demonſtras, incertum dubiumq; facis, vtrũ corrigere, atq; conſtituere remp. noſtram tibi liceat, nec ne liceat. Pari Dialectices inſcitia laberis in ipſis Epiſcopis quoque, cùm illud pro argumento ponis.

EX EADEM PRÆFAtione Stancari.

Quia quidã Epiſcopi abominãdã idololatriã defendũt. falſam doctrinã docent, bonis Eccleſiarũ abutũtur, Sardanapalicè uiuunt, luxuriantur, ſcortãtur, & inebriãtur, corrigi nolunt: cùm ſciant, ſi res ad iudiciũ delata eſſet, ſe cauſam ſuam tueri nõ poſſe: illicò ad maieſtatẽ tuã accuſarunt

& nobiles illos, & me, cum quibuſdam pijs miniſtris, ſeditionis auctores, ac rerum nouarum amatores. unde, non cognita cauſa, omnes condemnati ſumus: ac negotium reformationis impeditũ fuit. Et infrà: Dabimus itaque operam, ut non niſi idonei miniſtri eligantur, &c.

Stancar cæcus in Dialecticis.

Huius connexi ratio, q̃ claudicet vide: vt enim id quod cõſequitur in connexo, neceſſarium eſſe tibi concedam: illud primum quod antecedit, & vnde hoc ſequitur, neceſſariũ eſſe, tibi priùs fuerat demõſtrandũ. dicis enim, Epiſcopos apud nos impuros eſſe, atq; ſceleratos. Quis es tu, qui alienos ſeruos iudicas? ac principes Eccleſiæ Dei, patresq; regni ampliſſimos, inceſto ore tuo laceras? quo autẽ iudice didiciſti, omnes Epiſcopos in Papatu ſceleratos eſſe? Sed fac ita eſſe: illud dicas mihi velim, quomodo priuatæ vitæ crimen, auctoritatẽ publici muneris in Epiſcopis minuet? Sed procedat tibi id quoque: illud tamen reſtat adhuc quærendũ: ſi Epi-

ſi Epiſcopi quos nunc habemus, ex Polonia exterminãdi ſunt, vnde, aut qua ex gente vel ſecta, Epiſcopos nobis alios pro ijs (vt polliceris) ſubſtitues? Dabuntur (inquies) à me. Quis porrò tanti muneris diſpenſandi tibi fecit poteſtatẽ? quis inquã hoĩm aut deorum ille fuit, qui te cum iſta poteſtate ad nos miſit? ſi homo, priuilegium exhibe: ſi Deus, ſignum oſtende: vt credamus tibi fas eſſe, pulſis veteribus Epiſcopis, nouos in eorũ locum ſufficere. Nam & Moſes ſignum dederat Iſraëli, anteq̃ ſacerdotiũ inſtitueret Arontis: & Titus Cretenſibus literas Pauli Archiepiſcopi ſui exhibuerat prius, q̃ vel presbyteros, vel diaconos in Creta, ex auctoritate renunciaret. At cùm tu neq; priuilegium, neq; ſignum vllum das, quo tibi hæc tanta apud nos ꝓcurare, iusq; fasq; ſit, quomodo tu pro ijs Epiſcopis, quos in manibus habemus, alios nobis ſubſtitues, q̃ iuſtè ac legitimè,

 in

in Polonia muneri præsint Episcopali? Animaduertis, nisi fortè ipso talpa cæcior es, te Dialectica ita nosse, vt cæcus alba atque atra nouit. vnum etiam addam, in quo genus quodnã sit Dialectices tuæ, hoc sole clarius apparebit. nam cùm præsentiam corporis Christi ex sacramento altaris, Canone expugnas tuo: hoc argumẽtum ponis, tam materia, quàm forma ipsa claudum.

Contra sacramentũ altaris sophisma Stancari.

Omne corpus naturale, est in aliquo circumscripto loco:
Corpus Christi est corpus naturale:
Ergo corpus Christi, est in aliquo circumscripto loco.

Non est igitur vbiq; corpus Christi: neque in Sacramento, neque in cęlo vno temporis puncto illud est. Hìc occurrit illud Flacci:

Spectatum admißi, risum teneatis amici.

Quis eñ, non dico Philosophorum, aut Theologorum, sed zonariorum, mediusfidius, atque ipsorum baiulorum, illud tibi dederit? omne corpus natu-

rale esse in circumscripto loco: præsertim cùm ingentẽ hanc cęli molẽ, corpus naturale, in loco circũscripto non esse cernamus. aliter enim in rerum natura, esset infinita in omnes partes magnitudo: quod natura ipsa aspernat̃. Quod cùm ita sit, syllogismus a hic tuus in prima figura ex ambabus particularibus propositionibus cùm cõstet, facilè declarat, quã Dialecticã tu teneas: nẽpe eã, q̃ aut materia ad argumẽtum subiecta, aut forma ęius argumenti, aut vtroque semper claudicet: & quæ ob eam ipsam causam loquax, temeraria, turbulẽta, ac seditiosa est: integra mutilãs, solida decurtans, expressa adũbrans.

Cæli corpus nõ est in loco.

a Propositio enim eius, cùm in vniuerso gñe sit falsa, particularis locũ teneat necesse est: alioq; falsũ Stancarus sumit.

Dialectica Stancari qualis.

Et ne verbis tantum acumen tuũ laudare videar, explicabo paucis Canones tuos, in quibus mirificus Dialecticus es. Concilia enim œcumenica in Canonib9 tuis laudas, vitam atque mores sacerdotũ, ad Conciliorũ normam probas: aduersus Concilia aliquid

Gladio Stãcar suo iugulatur.

aliquid noui fieri vetas. Dij approbent, habemus adhuc Stãcaro patrono Concilia œcumenica salua. Sed vide, vt error te, quasi æstus quidam, à proposito abripiat, & in saxa latentia in hęresi tua torqueat. Nam si Cõcilium Nicœnum, si Constantinopolitanum, si Ephesinum, si Chalcedonense, si Tholetanũ, si Agathense denique apud Stancarum valet: ergo illud quoq; apud eundẽ valeat necesse est, in Ecclesia Catholica Romanũ Papam principatũ tenere: à quo deinde Episcopi isti, quos nunc habemus, & cæteri sacerdotes publici in sacerdotio profluerent. Quis dicit hoc? ipsa, inquam, Concilia: quæ tu contra Episcopos nostros vltrò citas. Non igitur Papa idololatra, neq; Episcopi nostri pellendi, spernendiq́; sunt: neq; alij ꝓ ijs accipiẽdi à nobis sunt: cùm tam apertè Conciliorũ œcumenicorum decretis, & Papæ, & Episcoporum nostrorum præstantissi-

sima constituatur apud nos auctoritas. Quò te hîc vertes, ô Pœnule? aut quod atramẽtum effundes, ô Sepia, vt nos instantes effugias? Nã in quãcunq; partem te verteris, dandæ tibi manus omnino sunt. Si enim Concilia œcumenica apud te valent, Papatus etiam ipse valeat necesse est: qui Conciliorum œcumenicorum sæpe munificentissimis decretis honestatus est: ac certis sacerdotij gradibus, quasi stellarũ splendidissimis globis, ab eisdem Concilijs est distinctus, atque illustratus. Contrà verò, si Papatus apud te idem quod nihilum est, neq; Concilia etiam aliquid apud te erunt, in quibus omnibus princeps semper fuit Papæ auctoritas. Sed dices fortasse, id quod etiam in colloquio nostro Peremisliensi cùm dixisses, risus oĩm factus fuerat maximus. dixeras enim, te non plus Concilijs tribuere, quàm fides Catholica postulat: perinde, quasi Concilia œcume-

Conciliorum summa fides.

menica aliter ſentiant, q̃ fides Cathò lica poſtulat. In quibus id agitur, vt oĩa ſalutaria cõmunib9 ſententijs, cõ ſultisq; decernantur, quib9 Eccleſiæ cõtinet ſalus. Verùm tu amiſſa Eccleſia Catholica, cùm vnà quoq; generales ſentẽtias amiſeris, ſingulares perſequeris: &, quod peculiare oĩm Hæreticorum eſt, tam ex ſcripturis, q̃ ex Concilijs atq; patribus, oẽs vndique ſententiolas ſyllabatim cõquiris, carpis, atq; delibas: eas autem maximè, quæ ad iurgandũ pro te, cõtra æmulos faciunt: cùm tamen nihil tam reſiſtat & repugnet tibi, q̃ ſcripturarũ patrumq; auctoritates, ſi ita vti ſunt, pleno atq; integro rerũ, atque verborum ſenſu abs te proferantur. Sed tamen, quantum ad Conciliorum fidẽ attinet, non videtur tibi Concilium œcumenicum idem eſſe, quod arbor frugifera & fructuoſa eſt? Decreta etiam Conciliorum, non ſimilitudinem quandam gerunt, ſpeciemque fru-

Conciliũ arbori ſimile.

fructuum? ita opinor. Ergo, vt arbor bona bonos fert fructus, ſic bona Cõcilia, bona ferant decreta neceſſe eſt. Quòd ſi Concilia decreta ferunt vicioſa, Concilia quoque ipſa, vnde hæc manant, flagitioſa ſint oportet: non ſecus, quàm ſi fructus mali ſunt, arbor quoque eorum fructuum mater, mala vicioſaque ſit neceſſe eſt. Quare caue tu in Concilio œcumenico verum falſo, ac bonũ malo, hoc eſt, tenebras luci, arte hac tua admiſceas. Nam tibi aut totum Conciliũ, cuius partem vſurpas, comprobandũ eſt: aut ſi partem eius reijcis, totũ Cõcilium funditùs eſt reijciendum. Etenim ſi ſpiritu Dei illa Concilia, quorum tu auctoritate contra Epiſcopos noſtros niteris, & acta, & tranſacta ſunt, nulla ſocietas in ijs fuit, neque communitas ſpiritui veſtro nequã: quo partes veſtræ non tam fiunt, q̃ ſubitò exortæ ad nihilum recidũt: & quaſi fumus tumid9, & turgid9, & in ven-

Spiritus hæreticorum qualis.

ventum dispersus, cum vestigio euanescunt.

Quamobrem, si Conciliorum fide cum Episcopis pugnas, eadem authoritate te conuictum esse hæreseos crimine, ab Episcopis nostris, confiteare: ac publicis execrationibus pesti futuræ deuotum, pulsumq́;, & eiectum ex Ecclesia Dei. Quid ita? quia in Constantinopolitano Concilio œcumenico primo, ita in vos hæreticos extat perscriptum:

Stācar hæreticus ab oībus Concilijs condēnatus.

αἱρετικοὺς δὲ λέγομεν, τούς δὲ πάλαι τῆς ἐκκλησίας ἀποκηρυχθέντας· καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα ὑφ' ἡμῶν ἀναθεματισθέντας. πρὸς δὲ τούτοις, καὶ τούς τὴν πίστιν μὲν τὴν ὑγιῆ προσποιουμένους ὁμολογεῖν, ἀποσχίσαντας δὲ, καὶ ἀντισυνάγοντας τοῖς κανονικοῖς ἡμῶν ἐπισκόποις. ἔπειτα δὲ, καὶ εἴ τινες τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐπί αἰτίαις τισι προκατεγνώσμενοι, ἢ ἀκοινώνητοι εἴτε ἀπὸ κλήρου εἴτε ἀπὸ λαϊκοῦ τάγματος, μηδὲ τούτοις ἐξεῖναι κατηγορεῖν ἐπισκόπου, πρὶν ἂν τὸ οἰκεῖον ἔγκλημα πρότερον ἀποδυσῶνται.

Hæretici hominis definitio.

Hoc est, Hæreticos appellamus, tam illos, qui olim ex Ecclesia proscripti sunt, quàm eos, qui posteà à nobis excommunicati sunt. Insuper eos, qui fidē quidem sanam simulant se profiteri, separant se tamen, & contrarias coitiones faciunt aduersus nos regulares Episcopos. Prætereà, si qui ab Ecclesia criminibus certis dudum conuicti, & excommunicati sunt, siue clericalis, siue laicalis ordinis illi fuerint: ijs nullo modo liceat accusare Episcopos priùs, quàm ex proprio crimine emerserint.

Audis, Stancare, quàm apertè hac ipsa definitione Cōcilij teneare, qua tu in hæreticos relatus, & tribu Christiana motus, communi suffragio ex piorū cœtu pelleris, & alienus Christiano Catalogo esse iudicaris. Nam & cum Nestorio contra diuinitatem Christi consensisti, & fidem sanam neglexisti: & à Catholica Ecclesia te separasti, & aduersum legitimos Episcopos coitiones fecisti: & infinitis criminibus conuictus, ex Italia proscriptus, confiscatus, ac pulsus fuisti. Et tamen his tu tot ac tantis sceleribus obstrictus, ac nefario Ecclesiæ, tanquam patrię parricidio, obligatus cū sis, in medium clericus infamis, contra legitimos Episcopos tuos prodis, vt tanquam improbus & impurus filius, parētes tuos nō solū accuses, sed

reos etiã maiestatis facias priùs, quã
te de ijs tot, tam claris, tamque mani
festis criminibus, apud Episcopos tu
os legitimè purgaueris. Vidésne ô fu
ria, vt collum in eosdem laqueos vl-
trò inseras, quib⁹ Episcopos nostros
præceps, ac deuius captas? priùs em̃
quàm Episcopos auctoritate Conci-
liorum peruertas, ipse luculentam ac
mortiferam plagam accipias, quam ti
bi Concilia ipsa imponunt insanabi-
lem. Ita sorex indicio suo perit: ac
stultus suo, quemadmodum dicitur,
gladio conficitur.

STAncar Orator qualis?

Sed tu in Dialecticis, quàm So
phistes argutulus sis, satis superq; vi-
dimus: nunc in Rhetoricis vicissim,
quãtus Orator sis, videamus paucis.
Vísne igit̃ te Oratorẽ, ex ipsa defini-
tiõe Oratoris spectemus? ita opinor
faciẽdũ est. Itaq; ῥήτωρ Græcis, Orator
Latinis, à Fabio dicit̃ esse vir bonus,
dicendi peritus. Tu vir bonus es,
quẽm Mantua è ciuitate eiecit, tan-
quam

quam abortum? quem Italia vt ho-
stem patriæ exterminauit? cui nullus
intra Oceani ostium, neque apud hæ
reticos, neque apud Christianos, lo-
cus est consistendi? Si igitur omnes
mortales acerbè, & penitus te ode-
runt, quomodo summè iniustum te
non esse defendes, in tanto odio atq;
dissidio? Habet enim hoc iniustitia,
vt eum etiam hominem in quo inest,
non modò alijs, sed ipsum sibi inui-
sum faciat. Quòd si tu iniustus, quo-
modo vir bonus es, detracta opinio-
ne probitatis? quæ probitas (inquã)
iustitia constat, à qua tu alienissimus
es? non reddis enim vnicuique quod
suum est, aliena etiam arrogas, & ti-
bi concedi postulas. nam homo pri-
uatus, & alienigena cùm sis, accipis
tamẽ Magistratũ in Polonia prędę lo
co: in quo te insolẽter iactes, atq; in
eo curationes, & quasi dispẽsationes
regias, atq; Põtificias administres. nã
in Polonia, ad summã rerũ cõsulere,

Stancar in-iustissim⁹.

 Regi-

Regium est: religionibus verò præesse, opus est apud nos Pontificium. Quod quoniam ab iustis magistratibus auertis, & in te priuatum & exulem transfers, quæ iniustitia capitalior poterit hac vna reperiri? Iam cũ nulli præposito ordinis tui legitimo subiectus sis, nulli potestati in Ecclesia sublimiori pareas: postremò, nullum pastorem agnoscas: sed sis vnum indiuiduum quoddam vagum, errãs, ac vitam communem perturbans, leges perfringens, conspirationem bonorum labefactans: seruos in dominos, subiectos in præsides, & optimũ quemque incitans, & inflammans: potésne tantis in facinoribus sceleris & perfidiæ, viri boni nomen retinere? homo igitur nequam, & improbꝰ cùm sis, illa facultas, si quam fortè habes, minimum ipsa per se in te valet, semota iustiria.

Sed fac valere te dicendo, perge ergo tenere istam viam dicendi, quã instituisti: & quasi ex altiore loco, ad præscriptum tuorum Canonum, reformationis tuæ causam, Rhetoricè apud Polonum Regem exaggera, apud quem si verè agere voles, hoc dices.

AVDIAT HÆC REX,
ac sensibus imis, res
est non parua,
reponat.

Ego sum Stãcar ille, Sigismunde Auguste Rex, qui pulsus ex mea patria, tuorum nobiliũ quorundã uocatu, me ad te in Poloniã exul potißimũ ex Italia contuli: quòd uidebam, nisi ego corrector ciuitatis in tuo regno acceßissem: Poloniam, scelere Pontificum incitatam semel, in procliue lapsuram fuiße. Ego remedium præsens ægrotæ, ac prope desperatæ Poloniæ affero: atq; ijs Canonibus, quos tibi exhibeo, illi subuenio. Quæ ut reficiatur collapsa, primò duobus illi ad eam rem opus est gladijs: Vnus est, quem tu gestas: Alter uerò, penes nobiles tuos eße debet: quo illi ad summam regni utantur, gladius in munere Regio si ceßet tuus. Deinde, pestis ac pernicies regni tui, Pontifices, agris atque urbibus sunt abs te primo quoque tempore exter- (Medulla Canonũ Stancari.)

 exter-

exterminandi,, & cum uestigio ex Poloni tollen
di. Sunt enim exitium regni tui, hostesq; Dei: corri
gi à me nolunt: nec me correctorem ferunt, qui ti
bi pro ijs impuris et sceleratis, offero de secta clas
séq; mea alios Pontifices te dignos, ac regno tuo
ministros idoneos. Quos ut mecum unà sustentes,
nulla te horum idololatrarũ capiat misericordia:
quin Archiepiscopatus, Episcopatus, Canonica-
tus, Abbatiæ, Præbendæ, Parochiæ, ac quicquid sa
cerdotiorum, ac uasorum sacrorum etiam in san-
ctiore ærario templorum est, diripiatur: & mihi
correctori, meisq; scholis atq; ministris à me tibi
datis attribuatur. uti nos ijs rebus satius est, qui
Apostoli Christi sumus: quàm eisdem abuti eos, qui
idololatræ in tuo regno sunt. Nulla res te deterre-
at, quò minus id fiat: non Priuilegia uetera Reg-
ni, non mos maiorum, non sacramentum quo te ob-
ligasti: omnia ista cedant Canonibus meis reforma
torijs, ex puro puto uerbo depromptis. Nihil te
laurea illa, regalisq; apex atque diadema so-
licitet, quòd more uetusto, Gneznensis Archie-
piscopus capiti imponebat tuo. hæc enim nuga-
lia Papistica sunt omnia: unctiones inquam, Co-
ronationes, atque regum ipsorum apices, in Pa-
patu excogitata: ad infatuandos reges gloriosos.
Nusquam enim habetur scriptum, illo apice, at-
que illa unctione decorandos reges esse. potes sine
ijs insignibus, atq; infulis regni sedere regali in so
lio,

lio, cum purpura, & sceptro ornatu regio: etiam
si absit diadema. quod uel ob hoc maximè inuisum
tibi esse debet, quòd eius apex crux est: quæ cùm
ex omnibus templis, ac triuijs, locisq; publicis toto
regno à nobis in præsentia tollatur, ne in diade-
mate quoq; salua permaneat: immò si aliter nõ po
test, cum diademate unà intereat potiùs, quàm au-
ctoritatem regis, & regni dedecoret. Quòd si de-
siderium harum nugarum ferre non potes, leniẽt
illud ministri à me dati: qui hæc procurabunt, cùm
usus fuerit, & ipsi. Quamobrem, nulla res te re-
moretur, neq; salutẽ istorum à te deprecetur, quin
sublatis ex Polonia Episcopis, regnũ tuũ Papatu,
id autem est idololatria, primo quoq; tempore li-
beres. Nihil apud te ualeãt illa, quibus isti pugnãt
maximè: nempe Episcoporum ipsorum sempiter-
na succeßio, Ecclesiarũ consensus, tũ doctrina mi-
raculis approbata. omnia hæc, si rem ad rationem
meorum Canonum reuoces, nihil sunt: unde tan-
quã è fonte uiuo, salus ac uita tibi, regnoq; tuo sca
turit. Proinde, nõ tantùm hos præsentes, sed etiã
illos ueteres Episcopos, quorum exemplis isti pu
gnant, Adalbertos, Prãdotas, atq; Stanislaos asper
nare. nam hi primi superstitionem ad cõsimilem
idololatriam, in septingentesimum prope annum
in Polonia tua propagârunt. à quibus per summã
malitiam, ueneficijs atque præstigijs, Vladislaus
Lokietek
agello proauus tuus, impulsus, & inductus, impia
 fraude,

fraude, & ipse se obligauerat, & Lituaniam suā contaminauerat: introductis in eam ex Papatu Episcopis, qui gentem illam baptizarent: & sacra, atque ceremonias in Lituania instituerent, Papistico ritu. Quare collige te magnanime Rex, ac saluti tuæ, regniq́; tui, dum tempus ad eam rem est, consule. In præceptis patrum tuorum ne ambulaueris: sed Canones meos salutares tantummodò audi, depromptos ex ipsius diuinitatis armamentario. Quos ubi cognoueris, apertè uidebis merū Antichristi regnum: in quo qui perseuerauerint, uitam amittent æternam. Quo cognito, statim illi ualedicere debes, & te totum cum regno tuo suauißimo, regno Christi consecrare. Accipe itaque hilari animo prudētißime Rex, hos Canones reformationis: & hos libros quoq́;, qui necessitatem reformandi regnum tuum ostendunt, diligenter lege: & ne patiaris amplius te cum regno tuo sub regno Sathanæ detineri.

Verba Stācari ad literam.

Præclara & digna, Stancare, Pœno Oratio: in qua Rhetorices tuæ officia preclarè absoluis. palparis eñ, & adularis plebi, dum illi maximos quæstus prædasq́;, ex sacerdotum bonis proponis, & rapinis illius imbecillitatem aucuparis. Sed qui tu tandem

Stancar tyrannidē in Poloniam inducit.

dem quæso hac oratione regem nostrū doces, ó Stancare: nisi quod crudelissimum oīm Tyrannorum Phalarim abs te doceri par esset? qui in tauro æneo inclusos homines succēsis ignibus torrebat. Tyrānidē enim apertè doces, alienā à genere, ac nomine nostro: atq; oblitus nobis Iagellonas Reges esse, Dionysios, & Pisistratos, nescio quos, Canonib9 tuis in Polonia instituis, à quibus crudeli dominatu premamur, qui ad arbitrium huius regni inuertant statum: dum quidem Tyrannidi illorum, nō communis regni conditio, lexq́;, nō Regis sacramentum obstabit.

Sed mitto Tyrannos, quos expertum genus nostrum nunquam est: ac ne vnquam experiatur, Deum peto: quæsoq́;, Regibus ipsis, Archiepiscopo cum Papatu ex Polonia sublato, quid fiet? aut quomodo regium nomē in Polonia cohærebit: si nulla vi, nullo (vt ita dicam) Archiepiscopali numi-

Sublato Archiepiscopo, tollitur ex Polonia Rex.

numine continebitur?cùm declarandi, atq; regio apice coronandi Regis, legibus regni, penes Archiepiscopũ Gneznẽsem, summa sit apud nos potestas. vt lex infrascripta docet.

LEX DE CORONATIONE.

QVantum ad Coronationes Regum & Reginarum regni Poloniæ pertinet: statuendo decernimus, & statuimus, quòd nullus alius ad Coronationẽ ipsorum Regum, & Reginarum se de cætero, & in perpetuum intromittet, & coronabit, præter Archiepiscopũ Gneznensem, pro tempore existentem.

ALIA LEX.

REgem liberè electum, nemo alius coronare debet, præter quàm Dominus Archiepiscopus Gneznensis, cum ijs Episcopis, qui ad hoc secundum ueterem consuetudinem pertinent.

Iamne sentis Stancare, vt rex in Polonia cũ Archiepiscopo ita cohęreat, vt ruere Archiepiscopus absq; Rege nullo modo possit. Etenim scire ex te Stancare volo, Archiepiscopo cum vniuerso Papatu ex Polonia de tua sententia exploso, eiectoque, quis

quis in Polonia coronabit Regem? quis capiti regio imponet diadema? quis Regem amiciet purpura? quis illum exornabit sceptro, atq; aureo malo decorabit? siquidem Gneznensis Archiepiscopus, exornator Regius, auctorq; legitimus, Canone tuo (vti iam dixi) fuerit ex Polonia sublatus? Pellantur, inquies, è Christiano regno istæ ineptiæ penè aniles, quibus barbarorum reges olim fiebãt illustres. At regni lex vetat aliter quenquam, nisi coronatũ in Polonia dominari. Quid tum inde inquies? nihil apud nos valeat, quod scriptura nõ valet. ad illũ enim nobis solũ est attendendum, de quo est dictũ: *Hunc audite*: qui nihil de coronandis Regibus docuit. At (ego inquam) amittemus summi imperij ĩsignia, plurimo sudore, atq; sanguine maiorũ parta, ni illis exornatos habuerimus reges. Quid tũ postea (inquies) omnia hæc gentes quærunt, quæ ignorant Deũ. At

Christus rex coronatus.

At(inquam ego)nomen etiam Regis,regniq; cum ijs insignibus potestatis regiæ,vnà apud nos interibit? Intereat(inquies)regnum mũdi, & omnis ornatus sæculi, modò Christus me auctore in Polonis regnet: q̃ sine hisce infulis, probè regnare nouit in suis. At(inquam) nos ipsum etiam Christum spinis coronatum, in suo regno videmus esse Regem. namq; hunc sub corona amictũ purpura,quod Regem decuit: declaratũ à Pilato solennibus illis verbis: Ecce rex vester, esse scimus. Probè dicis, spinis(inquies) non autem auro coronario. Cuius cuius(inq̃)modi Corona fuerit,non laboro, dum modò hoc constet,vt Christum absq; corona in regno suo Regem non esse: sic in mortalium repub. nisi coronatũ, neminẽ verè dici posse, neq; haberi regẽ. cò enim spectat regalis illa corona in Regibus,quò Reges cõmonefiant,se administros esse, & quasi sa-

Christus rex coronatus.

Quare coronentur reges.

satellites quosdam in hominum vita,illius summi ac spinis coronati Regis. Qui quidem rex, caput est eorũ hominum,inter quos regnum possident isti mortales reges nostri, qui inter Christianos omni vi carebunt, potestateq; regia, si illa nota fuerint cassi: qua nos adducti iudicemus, assentiamusq;, regibꝰ nostris vllũ esse cum rege Christo commerciũ,à quo vis vera potestasq; regnãdi legitima in germanos reges deriuatur.

Sed tu Solymanum fortasse Turcam,conciuem tuũ Babyloniũ, hoc loco obijcies nobis: absq; Pontificia corona,ac sceptro, purpuraq; regia, eodem iure apud suos regnantem: quo regnant nostri quoq; apud nos coronati,ac purpurati reges. Tam ille,Stancare,rex est,quàm illius Tyranni Christus caput est. cùm enim hic eius capitis non sit mẽbrũ: quomodo illa corona,si quæ insanum illud tetigit caput,in illo seruitio misero

Christiani reges differunt à paganorum regibus.

ſero tetroq́;, Coronæ inſtar Chriſti
regis eſt?aut quomodo is Tyrannus,
legitimã regnandi poteſtatẽ à Chr̃o
rege habet,cùm tantopere Chr̃o re-
gi aduerſetur? Vis illa,'atq; tyrannis
cuncta in Turcia eſt,nõ aũt poteſtas,
dignitáſue regia: quæ aliter non ſit,
niſi ex Chriſto,& ſacerdote, & rege
ſummo tota pendeat. Nec verò hic
Tyrannus tantùm regiæ poteſtatis,à
ſacerdotio Chriſti ſeiunctus cùm ſit,
expers eſt: ſed etiam veteres illi reges
ac Tyrãni,terra mariq; quondã po-
tentes: vt Nabuchodonoſor, Cyrus,
Alexander,Romulus: mitto alios, q̃
ſumma vi oppreſſos imperio coërce-
bant: extra Eccleſiã poſiti, longè ab-
erant à ſplendore nomineque regio.
Quid enim illi erant aliud,quàm ex-
curſores quidam,viuentes latronum
ritu: vt tantum haberent, quantũ ra-
pere potuiſſent? Itaq; principiũ im-
perij,& quaſi ſeminariũ dominatus
iſtorũ,dolus ac vis: nõ aũt fides,neq;
pie-

pietas fuit. Nam & Gyges ille Lydo
rũ rex,vt apud Herodotũ eſt,oportu
nitate fallacis annuli vſus, & reginæ
ſtuprum intulit: & interfecto rege,
tyrannidem in Lydia occupauit pri-
mus. Cyrus quoq; iugo Lydorũ re-
pulſo ſeruitutis,per aſtutias pares im
perium à Lydis in Perſas conuertit.
Quid Macedo Alexander, quæ vitia
& peccata prætermiſit: cùm Perſis
imperium idem auertit? Iam Roma-
ni rerum Domini, imperium Ocea-
no,famam dum terminant aſtris: nõ
è fratricida Romulo exorti, vi, & ar-
mis in tantam potentiã aſcenderãt?
vis ergo inerat in horum imperijs,
quę eodem quo paratur,frangitur &
infirmatur ferro. Nullus in horum
regnis ſplendor regius,nulla ampli-
tudo regalis fuit. Tyranni illi homi-
num oppreſſorum,non reges: immò
verò cupiditatum ſuarum fuerãt ſer-
ui: æquè ab regno Dei, vt à commu
ni generis humani ſocietate abhor-
ren-

rentes. nec propter vllam aliam causam, nisi quod illis defuit suprema Pontificialis manus, qua & regale fastigium illis imponeretur, ac vis & potestas regia diuinitùs in illorũ animos insereretur. Et quoniã hæc ipsa tam potens, tamq; magnifica Pontificialis manus extra Iudæam, id est, extra Ecclesiam nusquam est, reges quoq; veros ac germanos, nisi in Ecclesia, nusquam alibi esse, confitendum est. Qui quidem à sacerdote summo ritè creati ac declarati reges, à falsis regibus hoc differunt: quia illi sua, isti verò suorum curant commoda: illi soluti sunt legibus, isti contrà legibus sunt ligati: illi supra legem, isti viuũt sub lege: illi dominãtur seruis, isti imperitãt liberis: illos in dominatu coercet nemo, istos delinquẽtes in regno, idem qui creat, sacerdos continet. Postremò, illi nulla religione iurisiurandi obstringuntur, isti, nisi regali sacramento obligentur, in veris

ris regibus non habentur:

Et ne fortè sine corollario ab hac contentione regum, ac tyrannorum discedamus: sic habeto. causam aliam in vita tyrannidis non esse, nisi summi sacerdotis despicatum. neq; enim priùs Saul ex rege in tyrannũ se conuerterat, quã Samuelem sacerdotem summum contẽpserat. Non priùs sanguinarius Achab, ac Iezabel, oĩa diuina atq; humana apud Iudæos turbauerant, quã Heliam despexerãt. Sed quid vetera colligo? ecce in manibus duo feri, atq; importuni tyrãni, Valachus atq; Moschus: quorum alter ab oriẽte, alter ab aquilone nobis immi nẽt: qui quamuis Christianas gẽtes imperio pmant, tamẽ quòd sacerdotem summũ non agnoscunt, neq; in illius sunt manu, nullis legib. viuunt: nullo etiã superioris potestatis metu, in crudeli dominatu illorum frenatur furor. nihil apud eos valet ius, nihil mos, neque fas: id iustum inibi, quod tyran- Tyrãnorũ origo.

tyranno vtile: id lex, quod eidem cõducibile eſt. Et ne fortè ſolos Valachos atq; Moſchos, hac conditione ſeruitutis, ex contemptione ac deſpicientia ſummi ſacerdotis, premi putes: refer aſpectum ad eas gentes, quę à ſummo ſacerdote deſciuerunt: veſtigium liberi populi in ijs nullum offendes. At in regibus rectè & ordine declaratis, ſecus eſt: quos in munere regio redundãtes, & ſuperfluẽtes regali licẽtia, reprimit ac redigit in ordinem ſuperior Pontificialis poteſtas. ita vt niſi reges principi illi poteſtati pareãt, erratoq; deſiſtant, paratus ſit portus atq; ꝓfugium aduerſ9 illos oppreſſis: ipſa nimirũ regni abrogatio.

Coronationis ſacramentum.

Nec verò temerè fit, quòd diadema Regio capiti imponitur Pontificiali manu: inde enim liquet: hos terreſtres reges, ſummo illi Pontifici, & cæleſti regi ſubditos, ob propugnationem ampliſſimi ſacerdotij Chriſti, quæ Eccleſiæ eſt Dei viuentis, eſſe inſtitu-

ſtitutos. Quocirca illo coronationis ſacramento, à Pontifice duo regibus proponuntur: Vnum eſt, vt intelligant reges, in regno Chriſti, pro pace contra bellum, pro iuſtitia contra iniuſtitiam, pro fide contra perfidiã, pro veritate contra falſitatem, Stancare, veſtram: non tam hominis, quã Dei manu ſe vnctos eſſe. Quam ſanè rem, luculenter illuſtribus verbis Samuel ſacerdos expreſſit in Saulo rege, dũ illi iã perũcto, oſculum fert: atque illa ſolennia addit verba, Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatẽ ſuam, in principem: & liberabis populum ſuum de manibus inimicorũ eius, qui in circuitu ſunt. Alterum eſt, vt rex certò ſciat, ſub potenti illa manu Chriſti (manus enim ſacerdotis, man9 Chriſti eſt) ſe curę eſſe Deo: neque ſolùm munus regium, verumetiã incredibile quoddã animi robur, vnguẽti myſterio, regib9 in exequendo munere regio, à ſacerdote tribui.

id quod ex eo intelligi poteſt, cùm Samuel ſummus ſacerdos, armum hoſtiæ appoſuit Saulo, futuro regi. Vnguntur enim regi humeri, & lacertorum tori: quòd in ijs membris naturaliter vis ineſt, & incitatio quædam ad pugnam. cùm tamen Pontificum ipſorum præcipuo iure, capitis vngatur vertex: vt inde intelligatur, ſummum ſacerdotem regibus idem eſſe, quod caput membris ſuis eſt. neque reges veros eſſe, neq; poteſtatem regalem aliter illos habere poſſe, niſi ex Samuelis illi oſculo, hoc eſt, ex obſeruantia atque obedientia ſummi ſacerdotis pendeant. Quæ enim alia vis ad regis Chriſti coronam reges noſtros aggregauerit, ſi manus Pontificialis extrema non acceſſerit? aut ſi oſculum ſacerdotis maximè defuerit, ſplendorique, faſtigioque regio? nam ſacerdotis vnguento, vis omnis ac poteſtas regis Chriſti, in tuẽdo regno Dei, cũ regibus noſtris communica-

Oſculum ſacerdotis

nica-

nicatur: oſculo autem regum ipſorum, obſeruantia erga Sacerdotes Chriſti ſancit: vt ſacerdotũ auctoritate Reges nixi, Regis regum Chriſti omnes tueantur regnum, magiſtro, ac duce ſummo Sacerdote.

Iurè igitur coronati reges, à coronatione recta ad oſcula pedum beatorum ſummi ſacerdotis proficiſcũtur: vt in principe vrbe, quam elegit Dominus Deus, apud ſedẽ põtificialem, primã ꝓfiteantur obſeruantiã ſuam erga miniſtrum Chriſti: & ſeſe cum hoc principe ſumma fide coniũctos eſſe, in oſculo pacis teſtificẽtur. Qua ſanè maxima grauiſſimaque ceremonia, exprimitur omnis illa mortalium regum humilis & abiecta, ſub potenti manu immortalis Chriſti regis, ſubiectio. Non pedibus morituri hominis (crede mihi) honos ille ampliſſimus, à regibus noſtris Romæ habetur: vt tu admodum mentiris: ſed ipſi Chriſto Deo & Domino noſtro,

Oſcula pedum.

 quem

quem celso in solio sedens minister ille, in vrbe Roma repræsentat: quē qui rex spernit, Christum regem spernit: ac nomen iusq; regium amittit, nullumque est illi cum Christo rege commercium. Neque verò est, quòd tu illo Petri exemplo hæc oscula condemnes, ac morem maiorum reprehendas: qui Cornelium procidentē ad pedes suos reprehendit, ac venerationem illam iniustam detestatus est. Neque enim Cornelius veniebat, vt ad ministrū Dei, ad ipsum Petrum: sed veniebat, vt ad ipsummet Deum. erat enim Atheos, &, vt nunc vocāt, gentilis: qui virtute præstantes homines, deos esse indutos specie humana, gentium superstitione adductus, existimabat. Quo etiam errore, apud Lycaones Paulo atque Barnabæ sacrificatū penè fuit. Igitur Petrus in Cornelio non factū, sed ꝓpositū reprehēdit ipsi9 facti: hominemq; se esse, nō Deū, Corneliū docuit. Surge, inqui-

Petrus cur osculū pedū recusarit.

inquiens: nam & ego ipse homo, nō Deus, vt tu putas, sum. At si Cornelius venerationem illam exhibuisset Petro, nō vt Deo ipsi, sed vt Dei ministro, nunquam Petrus illum à pedibus suis remouisset: neq; piè id ille fecisset, si venerationem illam in sua persona Deo fieri, ab homine pio prohibuisset.

Sed vt eò reuertar, vnde huc declinauit oratio: animaduertísne? si tuo ꝑcepto Poloni Papam relinquūt, & abijciūt, vt Archiepiscopo vacēt, arq; careāt. neq; eñ is nisi à Papa Romano, testimonio Conciliorū oīm, creari ritè potest. Quòd si Archiepiscopus in Polonia nullus fuerit, neque rex, neq; Regium nomen, neque vis, potestasq; regis, vllo modo in Polonis subsistet. Ius eñ, vti iā est demonstratum, in Polonia aliter regem fieri non est, nisi Gneznēsis Archiepiscopus eius coronationis auctor fuerit. Neque verò est, ꝙ de sinu tuo nobis appo-

Rex in Polonia absque Archiepiscopo non est.

apponas rapaces illos furunculos tuos, qui operas in coronãdo & inaugurando rege pro Archiepiſcopo in Polonia nobis dent. Qui em̃ ſunt fugitiui & incircumciſi latrones iſti, qui tantũ munus apud nos exequantur? vt quibus niſi in carnificina, locus in Polonia alius nõ eſt, eis tu munus declarandi & inaugurandi regis, in noſtra repub. aſſignes? Samuële, Samuële, inquam Stancare, ad declarandum, coronandumq́; in Polonia Saulum, nobis opus eſt. qui non ſolùm coronam regio capiti imponat, humeroq́; peruncto regi Polono regium munus iniũgat: ſed etiam vim atque facultatem regij muneris, pro ſalute noſtra exequendi, eidem attribuat; vt ita à ſuprema, eaq́; legitima poteſtate, Rex Polonus renũciatus, poſſit verè Dei miniſter dici, oĩaque in Polonia rectè, atq; ordine, exque republica facere & efficere. Quamobrem cùm tu nõ Aaron, ſed ipſe ſis Aby-

ron: neq; Samuel, ſed merus ſis Abadon: neq, etiã grex tuus cuneus ſit prophetarũ ille, quo in medio rex noſter ꝓphetet: ſed ſit cœtus impius filiorũ Chore, cũ quo, ſi hũc ſequat̃, rex noſter ad inferos videns, viuusq́; deſcẽdat, qua mẽte, aut quo ore audes, exploſis veris Leuitis, ſublatisq́; ex Polonia legitimis ſacerdotibꝰ dñi, alieniſſimos hoĩes, ad offerẽdũ incẽſum coram Dño ſubmittere? q̃ in tabernaculo teſtimonij vngant, coronent, atq; inſtituãt Polonos reges? Cur in tãto ſacrilegio, horribiliq́; ꝑiurio, ignẽ illũ ſacrilegij ac ꝑiurij vltorẽ nõ metuis? q̃ 250. viros vno pũcto tẽporis in ſolitudine cõſumpſit, ob cõſimile ſcelus? Deniq;, cur hiãtẽ ac patentẽ iã tibi terrã illã nõ paues? q̃ te Dathanũ atq; Abyronẽ, contra ſummũ ſacerdotẽ Chr̃i murmurãtẽ, abſorbeat? O nimium oblite tui: qui quãta apud inferos tibi ſacrilego parata ſit pœna, nõ vides. quanq̃, ſi eſſet

STAncar. Abyron.

ſet in magiſtratibus noſtris ea ſeueri tas, q̃ eſſe debebat, iã te nobis quoq; iuſtas ac debitas præſenti ſupplicio pœnas perſoluere oportebat. q. auſus es hæreticorum primus, aures regis noſtri inceſto ore tuo polluere ac violare: & ea conſilia contra maieſtatem regis & regni, imperitæ multitudini ſubminiſtrare, quibus regem & regnum, nos ad extremum amittamus.

Archiepiſcopo ex Polonia ſublato libertas regni tollitur.

Quid ſi etiam doceo: Archiepiſcopo à ſua procuratione amoto, te non ſolùm regem atq; regnũ ex Polonia exterminare, ſed etiã tetram, diráque in vnius dominatu ſeruitutem in Polonia comparare: parúmne cõſtabit Stancare, te hoſtẽ patriæ, ac perduellem regni, reũ maieſtatis eſſe? Quapropter, antequàm infero hoc ego tibi crimẽ maieſtatis, principiò omnium ciuium meorum clamabo, orabo, atq; implorabo fidem, vt adſint: cognoſcant, animaduertãt, quàm indignè

dignè nobis Polonis à fugitiuis iiſce, eripiat patrimoniũ dignitatis, libertatis, ſalutis. Ad quam rem, vt cõpendio fugitiui iſti perueniant, hanc ſibi muniunt, atq; affectant viã, vt Gneznenſem Archiepiſcopum deijciãt de reipu. præſidio, & de cuſtodia regni deturbent. oĩa enim hæc ſalutaria, q̃ moribus, q̃ maiorum inſtitutis, q̃ legibus in noſtra rep. continentur, latẽt in tutela, ac præſidio vnius Gneznenſis Archiepiſcopi, contra vim, libidinemq́; regum potentiorum. Solus enim hic ex omnibus in Polonia regibus eſt oppoſitus, ne regum effuſæ in omni intemperantia libidines, ſeſe vnquam incitarẽt in libertatem communem. Pro qua ſanè ratione, ſolus ante alios Gneznenſis Archiepiſcopus in Polonia, non Senator regni, vt alij: ſed pater patriæ, vt nemo: non internuncius, ſed Legatus Apoſtolicus: non ſecundus, ſed Primas, hoc eſt, vir primarius populi in no-

nostra rep. appellatur more patrio. Atqui insignes isti, & pulcherrimi tituli, vim, & (vt ita dicam) numen ipsius Archiepiscopi in rep. magis, q̃ in ipsa re diuina declarant. Etem̃, quantum ad rem diuinam attinet, satis est illi antistitem sacrorum dici, & Pontificum minorũ præsidem. At si rep. spectes, iste ipse & Pater, & Legatus, & princeps omnium in Polonia est. Princeps, inquam, quia is, & inaugurat, & exautorat, vt mox apparebit, reges: tum in Senatu primæ sententiæ auctor est: & si rex nouis reb9 studens cunctetur, comitia illum habere ius est. Deniq;, idẽ à sede Apostolica in Sarmatiam auctor & magister publicè religionis est Legatus, ob id, ne peregrinæ aduentitiæq; hæreticorum doctrinæ vnq̃ perturbarẽt tranquillum reip. nostræ statum. Postremò Archiepiscopus hic pater regni appellatur reuerẽdissimus, q9 omnes cæteri in Polonia cum hoc vno collati,

filiorũ sunt loco: adeò, vt quantumuis licet alij excellant, tamen p̃ci puo iure hunc vnum reuereanť cuncti, & colant vniuersi. Quanq̃ autem hæc p̃stãtissima Archiepiscopi Gnezensis in Polonia auctoritas, ex iure nostro ciuili sua sponte appareat: tamen exẽplis quoq; demonstrabo id, quod dicimus, eiusmodi esse. inde enim facilè cõstabit, auctoritatem Archiepiscopi patrię potestatis loco, antiquitùs apud reges Polonos semper fuisse: atq; hanc eandem idem apud nos valere oportere, si rempub. volumus esse saluam. Et vt hoc in patriæ exemplo, tanq̃ in illustri monumento, cuiusmodi sit, demõstrem, ex annaliũ vetustate cruenda mihi est eius rei memoria, atq; ex regum ipsorum cõmentarijs repetenda, quæ apertè declarat, Archiepiscopi auctoritatẽ principem in Polonia semper fuisse. Ponam itaq; ad verbum id, quod extat perscriptum, Chronicorũ lib. 3.

¶Mi-

Archiepiscopus exautorat regem.

¶ Miecislao Monarcha ab Archiepiscopo, & Gedeone Episcopo monarchatu deiecto, in Kazimirum Ducẽ Sandomiriẽsem principatus fuit trãslatus. Et infrà: Et ne tales consuetudines in posterum ab aliquo innouarentur, placuit omnes trãsgressores, horrẽdo anathemate innodare. Sdislaus itaq; Gneznensis Archiepiscopus, cum cæteris Episcopis omnibus Põtificialib9 indutis, Gedeone Cracouiensi, Ziroslao Vladislauiẽsi, &c. astante Kazimiro Monarcha, & Baronum multitudine, in hunc modũ pronunciauit:

Qui agrestiũ annonã, aut res quascunq, vi, aut quouis alio pacto tulerit, aut auferri iusserit: anathema sit.

Qui legatiõis, aut necessitatis publicæ vel priuatę occasione, cuiuspiã quadrupedem & iumentum in angariam acceperit, vel accipi iusserit: anathema sit.

Qui bona Pontificum aut Ecclesiasticarum personarum rapuerit, occupauerit, distraxerit, etiam si persona sit illustris, & Regali, Ducali, aut quacunque alia præfulgeat dignitate: anathema sit.

Qui Episcoporum spoliatores acceptauerit, veluti sacrilegij particeps & consentaneus, &c. anathema sit. Et responsum est à Ducibus, & vniuerso populo, Amen.

En hîc apertè audis, vt rex ab Archiepiscopo in Polonia exautoret: audis vt is anathemati subijciat: audis vt ab anathemate ne persona q̃dem illustris ac regalis excipiatur: deniq; audis ipsum Polonum regẽ, vltro sese Archiepiscopo subijcientẽ, & anathemati illius regios suos propemodũ fasces submittentẽ, ad eiusque execrationes publicas solenne Amen supplicem respõdentẽ. Quid aliud expectamus, quo maiorum disciplina clarius nobis innotescat, q̃ hoc exemplo innotuit? Summus regni

regni Monarcha ad pedes Archiepiscopi abiectus hic iacet, & tanq̃ minor maiorem, ac filius patrem, subiectusq; principem tremit, horretque: ne quid imprudens aduersus interdictum Pontificium, in regno suo cõmittat. Quid aliud quæso est, imperare regibus, si hoc non est, vitæ modum anathematis pœna illis præscribere? Quid verò libertati cõmuni cõtra regalem vim aduocatũ esse aliud est, si hoc non est, regibus edicere, vt illi æquè à publicis vt à priuatis, tum ab sacris & à prophanis rebus manus suas regias abstineant?

Archiepiscopus excommunicat regem.

Verumenimuerò illud est ad omnem posteritatem in Iacobo Archiepiscopo exemplum memorabile: Gneznensem Archiepiscopum, tam domi q̃ foris, tam pace quàm bello, Polonicæ libertatis præsentem certumq; custodem esse. Hic enim Iacobus, Tetrarchas regni, ab Vuladislai fratris impij obsidione liberare cupiens,

piens, regem à Poznania iussit recedere: ni faceret, contra suam auctoritatem factum videri. Et quoniam animus illius viri magnus, & excelsus commemorabilis est, quo ille in subiectum sibi regem est vsus: ideo operęprecium fuerit, ex annalibus ad verbũ memoriã illã veterem attingere, quæ sic est: His itaq; probris, reuerẽdus pater Iacobus Metropolitanæ Gneznẽsis Ecclesiæ Archipræsul lacessitus, quadriga vect9, quia grãdæuus, & senex erat: habitu Archiepiscopali indutus, suaq; tiara, seu infula ornatus, in Vuladislai tabernaculum ingressus est: atq; è sella principi Vuladislao, ne alienas possessiones raperet, persuadebat. Et infrà. Vuladislaus autem huic prudenti persuasione, & Catholicæ correctioni, nullo pacto acquiescere voluit. Iccirco Iacobus, Gneznensis Archiepiscopus, vir iam senio confectus, è sella cui insidebat sese erigens, inquit: Auctoritatẽ

H omni-

omnipotentis Dei, cuius ego minister indignus, officium gero, te monitum, & rebellem excõmunico: Pharaonicaq; obstinatione induratum Anathematizo, ac veluti incorrigibilem diuinę vltioni te puniendum reseruo. Hæc ibi.

Quid ad hanc auctoritatem, seueritatemq; addi potest? acta res est in castris, cum crudeli atq; audaci rege: & tamen Archiepiscopum illum diuinũ, & singularem virum, & Rex ipse, & exercitus tulit: nec illi9 Archiepiscopi animum perstrinxit splẽdor Regius: neq; perculit præsentis exercitus metus, quin pro rep. pro libertate cõmuni, proq; legibus sese iniusto regi, magno aĩo opponeret. Cui cùm non obtemperaret Rex, vix vna intercesserat dies, cùm castris ab hoste exutus, turpiter fugere, & obsidionẽ illã intermittere, fuerit coactus. Qua sanè plaga illius Regis monemur, æternam illã Archiepiscopi auctori-

ctoritatem, Deo ipsi ratam ac fixam esse. Sed tamen & Ianusius Archiepiscopus ob vim allatam Paulo Cracouiensi Episcopo, Boleslaum pudicũ interdicto affecerat: nec priùs eo illũ leuauerat, quàm Episcopo illi ab Rege satis fieret. Sed hæc vetera, ꝓpiora videamus.

Lis erat capitalis Kazimiro magno de decumis agri vectigalis sacerdotum, cum Bodzanta Cracouiensi Episcopo: quæ, (vt memoriæ traditũ est) ad iurgiũ excesserat. Iaroslaus tamen Archiepiscopus, ex auctoritate controuersiam illam disceptauit, legesq; tulit eas, quibus ad hanc diẽ ea vectigalia Poloni decumarum nomine pensitant, quæ imposita olim fuerũt Iaroslai decreto. Quid illa eiusdem Bodzantæ Episcopi in Kazimirum magnũ excõmunicatio, qua is eum regem ex Ecclesia ob erepta bona Ecclesiæ Cracouiensi, tum etiã ob adulterium eiecerat: parùmne

Archiepiscopus Regem iudicat.

 de-

declarat pontificiam in Polonia au-
ctoritatem principem esse? Multa sci
ens, in medio quæ occurrũt, prætere-
eo. Sed tamen illud memorabile est
Sbygnei de Sienno, Episcopi Cardi-
nalis patrum auorumq; memoria ex
emplum, qui Kazimiro III. huius no
stri Sigismundi Augusti optimi Re-
gis, Auo, noua quædam & capitalia
aduersus rem Ecclesiasticam moliẽti
restitit: atq; illum, quod Episcopũ de
cuit liberè refutauit. Nam cũ Kazimi
rus effuso in bellũ Prutenicũ ærario,
vnde faceret sumptum in rem milita
rem non haberet, omni Ecclesiarum
Gaza, q̃ fuit maxima, sibi suppedita-
ri volebat ad vsum belli copiosè. Eius
sentẽtiæ vehementer ab omnibus E-
piscopis reclamatũ quidẽ fuit: sed ta
mẽ cęteri vim Regis cùm non ferrẽt,
solus Sbygneus Cracouiẽsis Episco-
pus irruenti in ærarium Kazimiro se-
se opposuit Pontificio habitu. Verba
etiã ab animi magnitudine ꝑfecta, il
la

Episcopus regẽ repellit ab ærario.

la addidit, stans in ipsi⁹ ærarij limine:
Quô ruis ô Rex, sacer hîc locus est,
mea possessio, nihil hîc patet tibi: si
ꝑgis, Boleslaũ repræsenta, ac me Sta-
nislao vtitor. Diuus enim Stanislaus
ante CCCC. annos Boleslao Regi
cõsimili animo pro Ecclesiæ suæ fun
do sese opposuerat, cęsusq; ob id à Ty
ranno fuerat. Sed tamen ex ijs paucis
quæ retuli intelligi licet, à maioribus
nostris Archiepiscopo Gneznensi i-
deò datum fuisse in Polonia principa
tum, quô coërceretur summa illa, &
immoderata Regia potestas: vt si rem
ad rationem reuoces, nil aliud Gne-
znensem Archiepiscopum in republ.
nostra esse dixeris, quàm moderato-
rem quendam Regiæ potestatis, ac
communis libertatis pręsidem.

Diui Stanislai mores.

Archiepiscopus in Polonia libertatis custos.

Atqui is ipse Archiepiscopus pro
pter excellentiam atq; præstantiam
dignitatis, habet in Polonia iustam,
ac debitam, tam priuatim quàm pu-
blicè venerationem. Primùm enim

Archiepisc. copus sũmo honore in Polonia.

Rex ipſe obligatur ab illo obedientiæ ſacramento, vt non aliter niſi obedientiam Eccleſiæ, Petriq; ſedi, apud Archiepiſcopum profeſſo, quod mox apparebit, diadema imponatur Polono Regi. Qua etiam opinor ex cauſa Rex in literis, ad Archiepiſcopi titulum, dominũ addit, hunc in modum illi ſcribens: Reuerendiſſimo in Chriſto patri, domino Ioanni Przerembski, Archiepiſcopo Gneznenſi, &c. Haud poteſt grauioribus verbis à Rege Archiepiſcopus ſalutari, q̃ domini nomine ab illo ſalutatur. Neq; verò tantùm pondus eſſet in verbo, niſi in ipſa re iuſtus, ac debitus ineſſet honos. Qui ſanè Regius mos in ſcribendo ſatis declarat, quô loco in Polonia, quóue honoris Archiepiſcopus ſit gradu. nulli enim Senatorum præter Archiepiſcopum, & Epiſcopos eius tituli à Rege habetur honos. Iam quanta vulgô adhibeatur legibꝰ aduerſum hunc in Polonia oĩm gene-

generum, atq; ordinum reuerentia, leges prolatæ docent.

LEX.

Si quis turpia uerba coram domino Archiepiſcopo protulerit, pœnam eidem domino Archiepiſcopo L. aliâs piatnnadzieſta perſoluat.

ALIA LEX.

Si quis coram domino Archiepiſcopo gladium uel cultellum extraxerit, ſiue aliquem uulnerauerit, ſiue non, pœna Siedmadzieſta puniatur, eidẽ domino Archiepiſcopo applicanda.

Tam graue, & ſanctum nomen Archiepiſcopi in Polonia apud nos eſt, vt cùm illius ſancto religioſoq; numine regni ſumma cõtineat, ipſe ſumma religione ſanctimoniaq; ab omnibus colatur, obſerueturq;.

Sed hoc loco oggannìet Stancar, & tanto in honore Gneznenſem Archiepiſcopum apud Polonos non eſſe: neq; cum hac tãta poteſtate, quanta nos illum præditũ volumus videri in Polonia, illum nunc verſari cõtendet: contraq; ac dico rẽ euenire. Nã Archiepiſcopus cur viluerit in Polonia.

& in ſubſcriptionibus ad Reges,& ad Reginas, deuotas creaturas Archiepiſcopi, & Epiſcoporū pleriq; ſeſe perſcribere non erubuerunt : & ad aras ornatu illo penè Tragico induti, cū Euāgelio pacis ſacro in medio ad mulierum etiam pedes (ô rem indignā) procubuerunt. Atqui,vtinam id verè nobis obijci non poſſet. vera eñ hęc ſunt omnia,quæ ex miſerrima ambitione,honorumq; contentione profluxerunt ad Eccleſiam Chriſti, dum dignitatis oblitus in petitionis curriculo Epiſcoporum alter, alteri apud reges ſtudio præcurrit. cùm enim per rectum curſum Epiſcopi quidam cōſequi Epiſcopatus nō poſſunt, ad ambitionem turpem confugiunt: omniaq; precibus,largitionibus,atq; pactionibus tentant, dum modò in petitione præcurrant,& euolent altiùs. à quo ſtudio & cupiditate, quæ ſordes,quæ vanitas, aut leuitas, atq; futilitas abeſſe poteſt? nō eſt ſanè,quòd

in hoc tali hominum genere ſpiritū illum Heliæ quiſquā expectet,qui cōterat petras,aut deſerta commoueat. Nimirum hi homines frigent, iacétque ſemper, qui hoĩm potentium artificio,& ſtudio: non autē inſtinctu, inflatuq; diuino ad illos ſummos in Eccleſia honores prouecti peruenerunt. Sed tamen eius rei culpa cauſaq; maximam partē Regum ipſorum eſt,qui ius legendorū Epiſcoporū ab iuſtis collegijs auerterūt, & ad ſeipſos per vim,cōtrà quā fas fuit, trāſtulerūt. quô fit,vt Epiſcopatus, magnū illud, & præclarū in Eccleſia Chriſti munus, ſit proiectus ab ipſis regibus in mediam contentionem,hominib. cupidis pro præda, manubijsq; hoſticis. vnde, qui Epiſcopi victores euadunt, videántne nō ſatis ſit id, quod in Decretis patrū in tales Epiſcopos extat perſcriptū Diſt: Lxi.cap. Nulla ratio ſinit.&c. An tu putas aliam cauſam ſectarum harū quotidianarū,

Ignauia Episcoporũ Sectarũ causa.

quibus opprimimur, existere, præter ignauiam Episcoporũ? quorũ impedita, & oppressa mens conscientia, cùm ipsa se damnet, orbetq; luce, ꝓpter vim nefandi sceleris, cõcepti ex nundinatione rerum sacrarum, fit, vt neq; erigere se aduersus eorum arbitrium, quibus cõstricti beneficijs seruiũt, vllo modo possint: neq; animo atq; consilio vacui occursare audent sectis, hominum potentium aut gratiam sequuti, aut potentiam illorum veriti. Vixisses in Polonia Stancare Stanislai Szczepanouij tempore, aut te ad illa tẽpora reseruasset fortuna, quô in Polonia Iacobi, Zdislai, Ianusij, Iaroslai, atq; Sbignæi, (mitto alios) Archiepiscopalis vigebat auctoritas, vnius vsuram horæ tibi ad viuendũ in Polonia illi non dedissent. Magistratib⁹ etiã, atq; ipsi regi ex auctoritate mãdauissent, vt primo quoq; tẽpore prouiderent, ne quid detrimenti Resp. ex vestris sectis acciperet, ni hoc

hoc Rex, magistratusque faceret, cõtra remp. videri factũ, illi pronunciauissent: vitam priùs sibi deesse, q̃ animum talem aduersus vestras hæreses maluissent. Quid ita? quia vigebat in illis viris spiritus dei, beneficijs principum obligati non erãt, iuris sui fuerant: munus etiam suum rectè, & ordine ita administrabant, vti volebãt: ideo Regibus formidolosi, cęteris autem omnib⁹ metuẽdi, Ecclesiã Christi administrabant. At nunc, quoniã ratio veteris disciplinæ, quam à patribus acceperamus, tota iam ferè interijt, tantum licentiæ vobis hæreticis ad quiduis audendum in Polonia datur, quantum vos vultis: Episcopi cõticuêre omnes, intẽtique ad vestros furores ora muta tenent: verbo vobis molesti non sunt, nec edictis Regem, nec interdictis reliquos magistratus in vos fatigant: dant, & concedunt vobis impunitatem rerũ omniũ sempiternã: Ecclesiæ verò Dei, præ-

Episcopi veteres cur fortes.

præter illam deſperatam vocem, ô Domine ſalua nos perimus, nihil relinquunt.

Chriſtus nunquam deeſt ſuæ Eccleſiæ.

Sed fuerint ſanè Epiſcopi quantumuis muti, ſurdi, atq; cæci aduerſus veſtras Stancare hæreſes: tamen illius ſummi Epiſcopi, Chr̄i Dei noſtri, aperti ſtāt ſupra nos oculi, patēt etiā aures ad p̄ces noſtras: q̄ nō dormitat, neq; vnq̄ dormiet, qui ſuū cuſtodit Iſraël. Is vigil, ac noſtri cuſtos fidelis, pulſatus, efflagitatusq́; Iſraëlis ſui p̄cibus, mittet ad nos prophetas, & ſapiētes, nō de tuo impuro ſodalitio, quo te fallaciſſimè Regi nr̄o venditas: ſed de ſuo æterno ſacerdotio, quod ab illo ortū, ſempiterna ſerie, īuicē ſuccedētiū ſibi Epiſcoporū, p̄petuat: immò tāto antè ille ad nos à ſe miſſos ipſos hos noſtrates p̄phetas excitabit, ex hoc graui veterno, quo illi ſunt occupati: q̄b⁹ dormitāti b⁹, atq; alias res agētib⁹, vos Arriani, Neſtorianique in agro dn̄i, triticeæ ſemen-

tī ſuperſeminaſtis apud nos zizania. Nō eſt Stācare q̄ alios aduerſum vos anteſignanos atq; duces flagitemus, præter eos, quos ad nos in Sarmatiā Chriſtus ſacerdos, atq; rex ſua manu à Petri miſit ſede. Qui ſi euigelauerint, munusq́; ſuum reſpexerint, non erit cur veterum Pontificum vim ſeueritatemq́; in vos hæreticos requiramus. An ego Staniſlaum, aut Iacobum illum veterem, aut Zdiſlaum, aut Iaroſlaum, quorum ſuprà mentionem feci in vos hæreticos poſtulem? cùm habeamus tam præſentem cōtra vos ducem Ioannē Prērēbiū, Regni Poloniæ primatē, eiuſdē loci, atq; ordinis hoīem, genere, virtute, doctrina præſtantē: cui diuinitùs adiunguntur hæc lumina regni, Paulus Tharło, Leopolienſis Archiepiſcopus, Philippus Padnicuius, Cracouienſis: Iacobus Vchanius, Cuiauiēſis: Andreas Czarnkouius, Poznanienſis: Andreas Noſkouius, Płocen-

Sacerdotes viri à Petri ſede.

censis: Valentinus Herborth, Pręmisliensis: Nicolaus Volscius, Chełmensis: Leonardus, Camenecensis: Valerianus, Vilnensis Episcopi, quibus ad summā Episcopalem nihil deest, nisi fortasse leue illud, ꝓ grege suo velle mori. Quos ego nominatim hoc loco iccirco retuli, vt si iā à vobis hæreticis, quod deus prohibeat, cadamus victi, sequens intelligat ætas, qui busnam patronis Ecclesiæ Polonorū opes corruerint. Verumenimuerò si in ijs Episcopis nostris inerit fides ea, quæ esse debet in ministris Christi, & in dispēsatoribus mysteriorum Dei, facilè illi sese ad suum munus, pensumq; reuocabūt. volent certè in caput (vt Mosis verbis vtar) non in caudā populorum, penes nos esse: cūq; illos Christus anteposuerit omnibus Regibus, atq; principibus, cunctisq; populis: & desinēt regū assectatores, principū anteambulones, populorū verò assētatores, velle videri: istabūt præ-

Pontificialis auctoritas.

præcepto, atq; exēplo Pauli, opportunè, & importunè: obsecrabunt regem, arguent Senatum, increpabunt populum, & extento vt aiunt digito, aduentātem tempestatē, ac fulgentē mucrone frameam Polonis demonstrabunt: & quasi tuba signū dabunt, quo concurrant vniuersi, ad hoc fatale incendium vestrum restinguendū, priusquam vniuersi conflagremus: ꝑsertim cùm tua manu subiecti Poloniæ ignes iam edunt flammā: cuius ardorem tu hæreticorum primus in omnes regni Polonię partes quoquo versus disiecisti, atq; hoc incendium in fortunas nostras à te excitatum, si nō tuo, at Archiepiscopi, Episcoporūq; nostrorū sanguine nisi è vestigio extinguit, ac funditùs delet, totiꝰ regni deflagratio consequat necesse est.

Et quoniā contra ingentes has turbas, horribilesq; tempestates vestras, in Gneznensi Archiepiscopo tantū situm esse præsidij Polonis sentis, ideò,

STANcar Archiepiscopum oppugnat Cur.

ideò, veluti Archipyrata Nauarchum de puppi, Archiepiſcopũ de pręſidio reipub. conaris deijcere, vt hoc deiecto, depreſſoq́; facilius Sarmatiam totam, in hoc tanto ſectarũ turbine, ſubmerſam, poſteà obruas. Ad quam turem, Canone tuo aditũ paras tibi, cũ quidem exemplum Salomonis eminentitũ ſatis ſcitè regi noſtro ad imitãdũ proponis: vt quemadmodũ Salomõ Abiatharum Pontificatu priuauerat, ſic Rex noſter Antiſtitem Gneznenſem Archiepiſcopatu priuaret: Sed, vt omnes intelligãt quãtus tu, ac qualis ſis vertumnus, q, quaſi araneola, quicquid libas, venenum malũ facis, ponam primò verba tua ex præfatione Canonum ad maieſtatẽ Regiam: deinde eorũ verborum fallacias breuiter, ſtrictimq́; refellam.

VERBA STANCARI.

Ex Canonibus.

VErùm, cùm Deus Regibus, Principibus & magiſtratibus ciuilibus ſubiecit Epiſcopos, Archiepiſcopos, ſacerdotes (mitto Papã & Cardinales, quorũ nulla prorſus mentio in uerbo dei habetur) & miniſtros oẽs Eccleſiarum, tuũ in primis officiũ eſt ô Auguſte Rex, tuas Eccleſias reformare. Nõne Salomon priuauit ſacerdotio ſummũ Pontificem Abiatharũ, atq; relegauit eũ. &c.

Itáne tandem Stãcare abuteris auribus, maieſtateq́; ſummi Regis? neque erubeſcis tantũ regẽ fieri impudentiæ tuæ teſtem? apud quẽ oĩa hęc præfaris, de Regibus præferẽdis Epiſcopis, de inſtaurandis Eccleſijs, poſtremò de exemplo Abiátharis ſacerdotis: quô tuas theſes contra dignitatẽ ordinis, ꝓbabiliter exponas. Ac de primo illo velim Stancare, bona venia, nos doceas, quo loco, aut quo vocali, ſcriptóue dicto, magiſtratui ciuili, Deus ſacerdotes ſuos vnq̃ ſubiecit? profer vnum locũ ſcripturæ, ſed integrum, ſed incorruptum: non aũt vt ſoles, mutilatum, neq; diminutũ: quod vbi feceris, vinces. Neque verò ſcripturæ fidem tantũ ego hoc loco

Epiſcopi nunq̃ regibus ſubiecti.

contra te imploro, ſed omnes leges, non ſolùm imperatorias, ſed etiam ex gentium ſuperſtitione natas: tum fabulas poëtarum ipſas, apud quos ſacerdotũ nomẽ, præter cæteros mortales, præcipuo in honore ſanctũ ſemper fuit. Etenim Chryſes, vt apud Homerũ eſt, ſacerdos Apollinis, cum infulis, & ſceptro redimenda filia, honorabilis extitit Achæis: & ab Agamemnone Rege violatus, idem exitio fuit Græcis. Plena poëtarum eiuſdemmodi fabulis ſunt omnia: quæ in reb⁹ fictis nulla eſſent, niſi in vita hominũ aliquando vera extitiſſent. Iam Leges ipſæ ciuiles, de Flamine Diali, quàm multæ ſunt in Romanorũ iure, quibus ſacerdotis ſummi, princeps ſancitur auctoritas? Quæ tanta fuit, vt ipſius prætoris edicto, flamen dialis, apud Romanos eximeretur ex reis. verba edicti adſcripſi: *Sacerdotem ueſtalem, flaminem Dialem, in omni mea iurisdictione iurare non cogam.* Quod idem eſt, ac ſi

Sacerdotes ſemper præſtantiores Regibus.

ac ſi prætor ita ediceret: Ab iure, iurisdictione poteſtateq; mea prætoria Sacerdotes, Pontifices, flamines, immunes ſunto. Quid verò Chriſtianis iam temporibus leges imperatoriæ, de ſacroſanctis Eccleſijs & de Epiſcopis latę: parúmne declarant, regibus in ſacerdotes vim, poteſtatemq; imperandi nullam eſſe? Conſtantinus ille, re & nomine magnus, libellos accuſatorios ab Epiſcopis inuicem ſibi editos, in ignem abiecit, & exuſſit, illo ſubſecutus, Deus ab homine non eſſe iudicandos. Si igitur Conſtantini imperatoris, non iam elogio, ſed decreto Epiſcopi Dij quidam ſancti ſunt, qua fronte, aut quo ſupercilio deos hominib⁹ ſubijcis, ac reos iudicibus anteponis? Sed ne ſit vlla fabularum, neque legum, neque exemplorum apud te ratio, ad ſcripturam ipſam qua tu fidis fruſtrà, te deducã, q̃ tu extra ſinum, gremiumque Eccleſiæ poſitus, non plus intelligis, quàm

 Pſit-

STANcar psittac' in scriptura.

Psittacus intelligit nostrum χαῖρε. Nec mirum: odio enim atq; dissidio, non paci neq; ocio studẽs, comparas hæc adiumẽta doctrinæ. Verùm, vt à Mose incipiam, non videtur vir ille tibi fuisse Leuites? nõ Aaronte fratre in sacerdotio maior? nõ Dei optimi maximi interpres internunciusq;? & tamen is tenebat non modò auctoritatem, sed etiam imperium in omnes, quantumuis libet, sanctissimos magistratus: subiectus autem populo in illo, magistratui erat nulli. Quin verò Pontificialem obedientiam in populo dei sanxerat vitæ exitio. En hoc Mosis exemplo, edictoq; liquet falsum esse id, quod tu asseris, nempe Regibus ac magistratibus ciuilibus, Episcopos, Archiepiscopos, Deũ subiecisse: sed tamẽ imperium Pontificialis præstãtiæ declaratur Samuelis exemplo, in Saulo rege maximè: qui eiusdem sacerdotis ore, ac manu & renunciatus rex, & de gradu regio vicissim deiectus

Moses sacerdos.

Samuel sacerdos.

ctus fuit: tanta quidem auctoritate, vt eodem temporis puncto Samuele administro, vnà cũ populi sui regno spiritum quoque suum in Dauidem regem Deus transferret, cum omni vi, potestateque regia. Et ne multa, si omnes scripturæ angulos excutias, reges ac ciuiles magistratus in populo Dei sacerdotibus aliquando præstitisse, nusquam reperies: immo cõtrà ac dicis, in scriptura sunt oĩa, in qua Abraham sacerdos, & propheta, Eliezerum suæ habebat procuratorẽ domus; sic Moses in rebus gerendis ministris & satellitibus vtebatur Iosue atq; Pnicha: sic Samuel, Saulum, atq; Dauida: sic Nathan atq; Sadoch, Salomona: sic Helias, Azachelem ac Iehu: sic alij sacerdotes summi, alios reges in populo dei, suis imperijs, & ꝓcurationibus obnoxios habebãt: nec vnquam secus esse in illis literarũ sacrarũ voluminibus deprehẽdes.

Abiatharis exemplũ falsò profert Stancar.

Sed tu Abiatharis exẽplo pugnas,

& instas, quem Pōtificatu à Salomone rege motum, & in prædia rustica relegatum fuisse scribis. Equidem tuam Stancare impudentiam satis mirari non possum, qui apud tantum Regem falsum profiteri non erubueris. Neq; enim Abiatharum istum Pontificem maximum fuisse vlla docet libri Regum litera, neq; hunc eundem Rex Salomon sacerdotio ex auctoritate priuatum, in prædia rustica indē natum relegauerat: sed cùm Adonias filius maior incidisset apud Dauidem patrem in suspicionem regni appetendi, Abiatharus autem cum illo faceret aduersus Salomonem designatum à patre Regem, Sadoch, & Nathan sacerdotes summi, Abiatharum pro hæretico condemnatum, ac secessionis reum, ad Dauidem Regem detulerunt: eumq; monuerunt, prouideret Rex, ne quid motu in illo detrimēti respub. acciperet Abiatharo duce. quod etiam est factum: Sadoch enim,

enim, & Nathan sacerdotes postulante patre, Salomonem vnxerunt, ac declararunt regem. Cæterùm, mortuo Dauide, cùm idem Abiatharus cum Adonia secessionem nihilominus aduersus Salomonem moliretur, ab eodem Rege, pro eo, ac dudum ab Episcopis delatus fuerat, in agrum relegatur: vt vel illa occupatione rustica, frāgeret hominis importuni furor. Rem gestam qui plenè scire volet, legat Regum libros. Quamobrem hoc de Abiatharo exemplum pro nobis contra te facit. nos enim asserimus, & præ nobis libenter illud ferimus, Imperatores, atq; Reges edictorum, atque decretorum Episcopalium, contra vos hæreticos, administros, atque explicatores esse debere: quod quam verum sit, vel hoc ipsum Abiatharis exemplum probat. Neque enim hic priùs à Salomone rege relegatur: quàm factionis conuictus Regi à sacerdote summo fuerat delatus. quòd

Reges Episcoporum ministri.

Mos hære- ticorum in citãdis scripturis.

tamen exemplũ profers viciosè, vt tibi res hæc alienissima, à tua causa in errore tuo suffragari videat. id quod tu more hæreticorum facis, quorum nemo vnq̃ fuit, qui contra veritatem pro falsitate fidẽ non imploraret scripturæ. quorum tu instituto hinc inde colligis, ac syllabatim delibas oẽs ex scripturis sẽtẽtias, à ꝓposito tuo alienas. Dicis eñ relegatũ, & amandatum fuisse Abiatharum à Salomone rege secessionis nomine: quod sanè factum posterius in re gesta fuit. illud autem prætermittis, quod relegationem, & amandationẽ hanc antecesserat, nempe delationem Nathani prophetæ: Et Zadochi sacerdotis, quę ritè non poterat fieri, nisi re in iudicio sacerdotũ prius agitata, atq; cognita: Neq; enim aliter decuit, neque oĩno potuit, sacerdos ille summus sacerdotem seditiosum Regi deferre: nisi in iudicio ritè conuictum. Quapropter hoc Abiatharis exẽplũ eò

Abiatharis exẽplũ docet, ꝙ sit munus regum.

eò spectat, vt discrimen inter Pontificialem, atq; Regalem potestatem norimus. non eò, vt sacerdotem magistratui politico subiectũ esse doceamus. Dum enim Abiatharum Nathã ad Regem pro hæretico defert, satis indicat atq; innuit, cognoscendi criminis Pontificum præcipuas partes esse: cùm autem Rex delatum Abiatharum relegat atq; amandat, ostendit & declarat, pœnas in criminosos exequendi regium munus esse. Non igitur Abiatharis exemplum sacerdotem infra Regem ponit, sed sacerdotis summi, reges atq; magistratus politicos, ministros & satellites esse demonstrat. quandoquidem Pontificũ iudicia, rectè & ordine facta, apertè regibus hoc exemplo imponant necessitatem res iudicatas à sacerdote summo exequendi. Quæ sanè vis, potestasq; sacerdotum incredibilis, nõ tibi spectare videtur illud edictum: QVODcunq; ligaueris, erit ligatũ,

 Quod-

Petri summa potestas nulli subiecta.

Quodcunq; solueris erit solutum? Quid enim, quæso, aliud est, illa ligandi atq; soluendi summa potestas, quàm in tota dignitate principatus quidam eximius, quo nihil in quóq; genere nec potest, nec debet esse præstantius? I tu nunc Stancare, & si aut per naturam fas est, aut per leges licet, subijce Petrum Regi, ac ligandū liganti, soluendumq́; soluēti, deniq; filium patri, postremò ouem pastori antepone: præsertim cùm ipsum hūc Petrum, & clauibus cęlestis regni audias honestari, & illi inferorum portas palam videas subijci. Tum etiam potestatem tantam attribui, vt nemo omnium mortalium Petri ligādi atque soluendi subterfugiat legem. tanta vis, tanta auctoritas, tantaq́; potestas Petri est, vt nisi sub hoc pastore censeatur esse nemo. Si enim soli Petro pastori illud à Christo domino dictum est, Pasce agnos meos, Omnibus reciprocando illud dictum est pro-

profectô. Vniuersi agni Christi, à Petro pascuntur: Si quidem ista reciprocantur: vt & si pastor Petrus sit, agni CHRISTI sint: & si agni sint, sit pastor Petrus: qui, quod pastorem decet, ouium Christi villis vestitur, lacte illarum pascitur, atq; ouilibus gregis Christi sustentatur. cùm tamen præter operas pastoricias, in ouile Christi hic impendat nihil. Nullius enim regum, neq; Tyrannorum is pastor, fundus populus est. neq; vectigalis, neq; stipēdiarius, neque tributarius. nam Christus regum rex, hunc principem ministrū, ac vicarium, in ouili suo, statere illo, ex ore piscis deprompto, in perpetuum liberauit omnibus tributis, stipendijs, vectigalibus, fundis: tantum ille stater valuit, vt finem afferret in Petro omnium pontificiorum tributorum. Quamobrem, si neque tributa regibus terræ, liberatore Christo Petrus pendit, sed omnes reges ter-

Petrus liber à tributis.

ræ

ræ tributarios habet: et si omnes cu-
iusq; generis politicos magistratus iu
dicat, à nullo autem illorum iudicat̃,
quomodo is non princeps est? aut
quomodo is Regib⁹ terrę fasces sub-
mittet suos? cuius amplitudiné, qua-
si in altera libræ lance, si appẽdas, nõ
solùm hos reges terræ, quos tu sum-
mo pastori impiè anteponis: sed ter-
ras, mihi crede, ea lanx, & maria de-
primat necesse est. tanta vis, tantũq;
pondus in principe Petro est. In quo
vno, quoniam oẽs sacerdotes inclu-
duntur publici, quis huic sacerdotũ
choro, cælesti atq; eximio, istos ter-
renos reges, humi serpẽtes, ac morta
lia curantes, anteponat? Qui nisi in
ipso hoc prophetarum cuneo permã
serint, carẽt spiritu domini: nõ pro-
phetant, nõ mutantur in viros alios:
sed feri, immanes, & inculti perstant
esse Tyranni. Nec mirum, sacerdos
enim summus, maximè est iudex: Est
lux, est sal mundi huius: id autem est
ipso-

Sacerdotes præstãt Regibus.

ipsorum regum terræ. cæci eñ sunt
& insulsi reges terrę (pace vestra dixe
rim ô Reges) nisi sacerdotũ cõdiant̃
sale, & nisi illorũ illustrent̃ luce: po-
stremò nisi à sacerdotibus vera à fal-
sis, recta à prauis, deniq; mala à bo-
nis doceantur discernere. Qui reges
inquã, nisi neminem læserint, hone-
stè vixerint, ius suum vnicuiq; tribue
rint: præstò adest sacerdos summus,
censor morum, & magister veteris di
sciplinæ & seueritatis: qui delinquẽ-
tẽ in officio regẽ notet, &, si sit opus,
gradu moueat. Non Saul de regno
decidit, notatiõe atq; animaduersio-
ne Samuelis? Non Athalia Ochosiæ
regis mater, crudelis mulier, summi
sacerdotis iussu est interfecta? Non
Oziæ regi execratione sacerdotis, le-
pra fuerat inusta? mitto vetera com-
pluria, vt Heliã, cuius deuotione ad-
uersus Achab, q̃nquagenarius vnus,
& item alter ictu fulminis deflagra-
uit: vt Elizeum, qui probris, maledi-
ctisq;

Reges absque sacerdote nihil sunt.

Reges subiecti sacerdoti.

ctisq́;,reges impios vexauit. Propiora videamus,ac nostra: Simō Petrus, sacerdos summus, Ananiā atq; Zaphirā, fraudatores agrorū, ex auctoritate affecit morte subita: cui⁹ vim, virtutēq́; in prouincia Apostolica imitati successores, plerisq; Rom. imperatorū ob maleficia, imperiū abrogarūt. Sed illud tñ est horribile, ac ꝑtimescendū, quod nomē, vimq́; imperij à Græcis hoīb⁹ quondā nobilissimis, Pōtifices Romanos, Petri successores, ad Germanos trāstulisse videmus. Quod sanè tam miserabili casu, euentuq; rerū accidit, vt cū honore, insignibus, atque ornamētis imperatorię potestatis, libertas quoque vnà Græciæ ceciderit. Ex quo nimirū documētū nos capere Deus voluit, q̄d esset nobis, regib⁹q́ue nostris extimescendū: si vestras Stācare hæreses secuti, à sacerdotio Christi, atq; ab illi⁹ sacerdotib⁹ nos segregauerimus: qui eandem nunc pestem patriæ nostræ nefariè

Pontifex Rom. imperium abrogauit Græcis.

Documentum horribile.

nefariè struis, & moliris, qua Gręcia olim funditùs corruit: quæ Arriano vestro artificio inducta, Papam, Cardinales, atq; Episcopos dū sibi subijcit, iura, leges, imperium, libertatēq́; amisit. Tanta vis est in summo sacerdote in vtramq; partem, vel ad secundas res, vel aduersas. Sed iam ad propositum reuertamur.

Confiteare igit̄ te insidias Regi nostro facere, ac māsuetudine illius immoderatè ad errorē tuū abuti, cùm nō solùm regē sacerdotib⁹ præficias: verūetiā instaurandarū Ecclesiarum prouinciā Regi nostro attribuas, & ad illam lępram Oziæ è ꝓuincia regia illum deuoces: qua percussus fuit rex ille, dum Pontificiali muneri suā regalem inijcit manum. Ad Pontifices enim id muneris, quicquid est, referendum est: ad illum autē in primis, cui ter denunciatum illud est, *Pasce agnos meos.* Quem oēs Christianæ gentes summę venerationis nomine Pa-

STANcar abutitur māsuetudine Poloni Regis.

Papæ nomen.

Papam appellant, Græco vtiq; è fonte verbo huc cadente: παππάζειν enim blandientium puerorũ patribus vox eſt: vnde Homerus de Diomede ait illa:

οὐδέ μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσι
ἐλθόντ' ἐκ πολέμοιο. &c. Hoc autẽ eſt,

Nã hunc cùm pueri patres blãdo ore ſalutant
Ex bello uenientem, &c.

Inde quoque Latinis Papas pro patre eſt dictus,
Altor pueri, quo uerbo utitur auctor ualde bonus, Iuuenalis in Satyra:

Timidus prægustet pocula Papas.

Auguſtinus certè, atque Hieronymus vt illorum vſus ferebat, hoc nomine ſeſe conſalutare ſoliti. Non pudet Stancare te non ſolùm apud inuictum, verumetiam apud doctũ Regem, Papæ nomẽ exagitare vt recẽs, atq; nouum: cùm vetus ſit, atq; priſcum, ex ipſius etiã ſcripturæ imis ꝓductum ſenſibus. Quô enim, quęſo, tu alio nomine melius appellaueris paſtorem illum ſummum, atq; communem omnium gentium patrem,

quàm eo, quo obſeruantes filij Græcorum more, indulgentem appellant parentem? Iam de Cardinalibus ipſis horribilis eſt tua cæcitas, qui in epiſtola Pauli ad Galat. ſcripta, Petrũ, Ioannem, atq; Iacobum, colũnas in Apoſtolico cœtu à Paulo vocitari nõ animaduertas. Quid porrò Cardinales ipſi, à Cardine rerum dicti, in illo orbis terræ conſilio aliud ſunt, quàm columnæ quædam: qui in ſede Apoſtolicà conſilium ſuum plenũ prudentiæ & fidelitatis, vniuerſæ Eccleſiæ præſtant? Sed quoniam Regibus, atq; magiſtratibus politicis, ſummè, vt videri vis, ſtudes: quàm in hoc ipſo tibi conſtes, operęprecium fuerit cognoſcere: idq; ex eiſdem Canonibus tuis, in quibus Polonum Regem, mille petis artibus. dum enim illi Pontificialem poteſtatem defers, immo dũ illum Pontificibus dominum imponis, nullam auctoritatem, nullum hõ

Cardinaliũ nomẽ.

K ho-

norem regium in Polonia illi reliquũ facis. Nolo tanta in re criminationib⁹ meis credi, verba Canonis tui adſcripſi, quæ apertè declarant, quam tu rationẽ cum Rege noſtro habeas.

STANCAR IN Canonibus.

SI iuſtum eſt petere licentiam à Deo malefaciendi, ita etiam licet petere licentiam à ſupremo Magiſtratu benefaciendi: ſed à Deo non licet petere licentiam malefaciendi: Ergo neque licentiam benefaciendi à ſuperioribus petere debemus. etc.

Ex hoc loco ad Regem oĩs cõfert oratio.

Sume in manus Argumẽtũ hoc Stancari, Sigiſmunde AVguſte Rex, omnium, qui vnquam regnarunt in Polonia, regum pacientiſſimè, atque leniſſimè. omnis enim iam mihi tanto in diſcrimine patriæ ad te cõferenda oratio eſt. ſume inquam argumentum hoc in manus, atque eius argumenti complicatam notionem euolue: vt videas, quæ inſidiæ tendantur, ac parentur ab hæreticis, contra tuam auctoritatem dignitatemque regiam,

giam, quæ vt in Polonia penes nos ſit: ei rei inprimis hîc ſtudet Stancar: Priùs enim à Stancaro ſacerdotium apertè petebatur: nunc autem regia maieſtas tua cuniculis ab illo oppugnatur: eoque res ducitur, vt Stancar tibi in Polonia pollicitus primas, ne ſecundas quidem relinquat, neq; tertias. Sed quid dixi tertias? imo verò gradum tuum regium infirmat, tollitque hic Stancar: dum quidem aduerſus regalem tuam Celſitatem, tanquam laqueum huiuſmodi nectit argumentum: Vt à Deo non licet petere licentiam malefaciendi, ita neque licentiam benefaciendi à ſuperioribus petere debemus. Itaq; hoc argumẽto inuito etiam rege, atq; reclamãte Senatu, ad id cuiq; tam priuatim, quã publicè eſt aggrediẽdum, quòd quiſq; optimũ factu eſſe duxerit. Igitũ Rex in Polonia fuerit nullo vſui: ſi qdẽ Stãcaro magiſtro, dux ſibi in agẽdo, & auctor in Polonia quiſq;

Regia maieſtas ex Polonia tollitur.

eſt. Nihil iam valebunt regia tua edi-
cta, neq; interdicta Auguſte Rex. ad
omnia enim mandata, iudicia, ac iuſ-
ſa tua, hæreticorum libidini contra-
ria, opponetur illud Stācaranum do-
gma, Licentiam benefaciendi à ſupe-
riori poteſtate non eſſe petēdam, ſed
contrà nitendum: Cui ſententię ſi e-
rit apud te aliquid loci, & ſi illam pa-
teris in tuo regno radices agere, atq;
etiam propagari, rues alto à culmine
ô Rex: poteſtas etiam tua regia locū
vbi conſiſtat, præ hac ſententia repe-
rire non poterit. ita tu cōtra vim, at-
que audaciā hæreticorum, à qua hæ-
rebis (vt aiunt) cedeſq; hęreticis, illo
refutatus, Licentiam benefaciendi à
regibus petendam non eſſe. vnde ea
lege in Polonia viues, vt ſi etiā ex hæ-
reticorum libidine deflagratio ipſius
regni, legumq; interitus cōſequatur:
tamen in iubendo, & vetando impe-
rium tuum, recuſet ille idem noſter
benefaciendi ꝑtextus. Et vt pro mea
debita,

debita, eaq; ſumma erga maieſtatem
tuam obſeruantia, atq; fide agam te-
cū apertiùs, vide quæſo Magnanime
Rex, ecquid tibi in tota auctoritate
regia, præ hoc Canone Stancari ſu-
perſit ſalui, caput eſſe arbitror, procu
rationis regiæ: nil noui aduerſus le-
ges in regno pati fieri. de hoc capite
quantum commodum fuerit, hoc Ca
none Stancari hæreticorum quiſque
detrahet, atque deducet: dicet enim
hæreticus id, quod iam omni ſimula
tione, atque diſſimulatione ſublata
apertè iſti dicūt, Legibus eſſe paren-
dū ijs, qui non repugnant, neq; ob-
ſiſtunt pietati, quam ego colo. Vale-
ant etiam (dicet idem) priuilegia re-
gni: ſed illa, quæ poteſtaten benefaci
endi mihi non adimunt. Quod ſi tu
nomen tuum Regium contrà appo-
nas? id quoq; refutabūt hæretici hoc
Canone quem adſcripſi.

STANCAR IN
Canonibus.

SVpremo Magistratui, nempè Christo, parendũ est magis, quàm locum tenentibus, qui in supremum regem sunt rebelles.

Vidésne, Rex inuictè, vt tua maiestas, atque excelsitas Regia, hoc Canone ex altissimo dignitatis gradu sternatur humi, extinguaturq́;, ac deleat̃ funditùs, vt nulla vis, nulla princeps regis auctoritas, præ hoc Canone amplius apud nos extet salua. Atqui id istos velle, eoque rem ducere, etiam ne argumentatio quærenda, aut coniectura tibi capienda est? præsertim cùm videas, noua compluria in regno iniussu tuo quotidie magis, magisq́; à ꝑditis hominib⁹ fieri: tanta q̃dẽ impunitate, atq; licẽtia, vt leges rogẽt, edicta cõscribãt, cõuẽtus agãt, pecunias in cõmune conferãt, duces & antesignanos designẽt. Quã aũt id verũ sit, ꝙ dico, eosdẽ Canones Stancari citabo testes, quib⁹ id apertè fit.

Hæreticorum intentio.

STANCARI CANON XVII

VT hæc omnia in perpetuo cursu & bono ordine retineri poßint, decernimus, ut singulis tribus mensibus pastores cõueniant, hoc est, Synodi habeantur, in quibus de omnibus istis diligẽs fiat inquisitio. & omnia ordine, & ritè cognoscantur. Si enim numerus Ecclesiarũ creuerit, ob commoditatem ad singulos sex menses transferentur Synodi. Cæterùm in hac nostra ciuitate, ubi schola constituetur, singulis octo diebus in causa religionis conuenient ministri.

CANON XXIX.

VOlumus, & mãdamus, ut pastores oẽs sibiijpsis librũ parent, in quo Catalogum oĩm animarum sibiijpsis subditarum, conscribent, ut sciant quinam, accedere poßint ad prædicationes uerbi Dei, & qui non: ac qui ad sacramentum Eucharistiæ sint admittendi, quiue non admittendi.

CANON XXXI.

STatuimus, & ordinamus, ut aliquot studiosi ex prouẽtibus Ecclesiarũ alantur, ut bonarum artium, linguarũ, & puræ theologiæ studijs imbuti, promoueri poßint in pastores, & rectores Ecclesiarum, ut in illis pura doctrina doceatur, retineatur & conseruetur.

CANON XLI.

MAndamus, & præcipimus ut cista, siue capsula cũ foramine ĩ tẽplo more maiorũ collocetur,

cetur, ad recipiendum eleemosynas, quas populus pro gratitudine beneficiorum Dei, proq; necessitate pauperum Deo offeret. Hæc duabus clauibus munietur, quarum una apud pastorem, altera uerò apud unum ex consulibus sit.

In Polonia Regalis potestas euanescit.

Animaduertis opinor Sigismunde Auguste Rex, pro tua sapientia pstanti, vt ijs Canonibus obscuretur, & euanescat ex Polonia regalis tua potestas, & vt imago nulla reipu. in tuo regno amplius relinquatur. En enim mandant, decernunt, iubēt, statuunt, administrant hæretici, in tuo regno quæ volunt: nulla auctoritate tua, neq; potestate interposita. Quid autem aliud est regē exautorare, maiestatem minuere, dignitatem regalē diripere, deniq; coronā ipsam regiā ante regis oculos conculcare, quàm publicè ꝑ imperio, velle, iubere, mādare, statuere, administrare, decernere in omni summa regni, sine arbitrio, nutuq; tuo regio? Acerbissimū porrò illud est, audaciam istorū perdito-

ditorum eò iam esse progressam, vt librarium etiam legum suarum tibi penè insultantes obtrudant vltrò, ac nomen tuum regiū ei libro inscribant, in quo regalem tuam potentiā, celsitatemq; despiciunt, proterūt, & conculcant: vt ita ante tuos oculos nomen regis cum vestigio regni, nō modò ex domibus ac mentibus Polonorum, verumetiā ex iudicijs tuis, legumq; ipsarū literis ab istis facilius deleat. profectò (vt res adhuc ire cœpit) verendum est ne hac licentia ad idem malum Polonia citò recidat: quo consanguinea nobis Boëmia olim perijt, & quo etiam nūc Germania afflictatur. Ac Vēceslaus quidem Boëmiæ rex Caroli IIII. imperatoris clarissimi patris, degener filius, dū ad eiusmodi hæreticorum sententias obsurdesceret, nec ea, quæ à catholicis viris monebat, audiret: & de omni statu suo regio ipse periclitatus est: & Boëmiam hęreticorum incendio, flam-

Vt Boëmia olim, ita Polonia peribit sectis.

flammaq; deflagratam vidit. post cuius mortẽ cùm Sigismundus Imperator, Vẽceslai frater, pereunti patriæ, cõtra sectã Husianã opem ferret, homini vilissimo, ac Boëmorũ vltimo, Ioanni Ziscæ, ex Boëmia turpi fuga cedere fuerat coactus: ita hic Ziska, posteaq̃ hæreticorum manum fecisset, seseq; regni spolijs aduersus vim Imperatoriam cõfirmasset, nobilissimum regnum diripuit, afflixit, dispulit: cuius crudele ac domesticũ latrociniũ, ex Husiana secta cõflatũ, quantúmnã fuerit florentissimi quondam regni illius, etiã nunc testant̃ ruinæ. Sed hæc vetera fortasse, nos ꝓpiora aspiciamus. Princeps illa gentiũ, atq; imperatrix Germania, nónne Lutherana hæresi, tanq̃ classico truci, excitata fuit, ad bellum Carolo V. Imperatori suo faciendum? Quid illa multitudo hominum agrestium, aduersus dominos in eadẽ Germania per hæreticos congregata ex seruis: parúm-

Ziska regnũ Boẽm. afflixit.

Germaniæ calamitas vnde.

rúmne exempli nobis est? vt dũ adhuc salui, integriq; sumus, Stancaranam sectã in Polonia opprimamus, & cum vestigio extinguamus, priusq̃ illa, tanquam turbine aliquo, aut subita tempestate, peruertamur? Nã quanta iam procella patriæ nostrę ex hac secta immineat, qui turbo, & tẽpestas pacis, & ocij in Polonia inde sensim existat, quis non videt? Ziska Ziskas inquam, hæc secta nobis parturit, & pariet, nisi antè sit occursum.

Vt autẽ Stancaranæ sectę, Auguste Rex, os, oculos, vult⁹q; agnoscas, effigiem & simulacrumque eius tibi proponã, atq; in hac vna secta oẽs sectas tam veteres, q̃ nouas digito extento (quod aiunt) tibi ostendam. In hac enim Stancari secta exoletus viuit, vigetq; Arrius, dominatur Macedonius, regnat Nestorius: Aërius verò eius sectæ proram tenet atque puppim. Nã & hic itidẽ (vt Stancar) Laicum

Imago Stãcaranæ sectæ.

Laicum adæquabat Clerico, ac ieiunia tollebat,& ſacrificium fieri vetabat,purgatoriumq́; delebat.Ex horũ ergo colluuione natus Stancar, non erat eo contentus, quod à maiorib⁹ ſuis aſſumpſerat:ſed etiam ex recentibus hæreticis,plurima addens, atq; mutans,oẽs floſculos carpit ac delibat.Reliquũ verò quod videtur, reprobat ac repudiat. Caluinus dixit mediatorem Deo patre eſſe minorem.ex hoc ipſo Stancar diuinitatem eximit,humanitatẽ autẽ ſolã in Mediatore relinquit.Ad eundem modũ in cœna quoq; à Luthero is idem ſumit panẽ,reijcit corpus: à Zuinglio itidem ſigna cœnæ ſibi adſciſcit, res aũt ſignatas è cœna eijcit: cœnamq́; corpore,& ſanguine tam in ſigno, q̃ in ſignato caſſam & inanem, memoriolam quãdam eſſe dicit quondam paſſi pro nobis Chriſti: ita hic Stancar,non corpus,neq; ſanguinẽ præſens cũ pane atq; vino, vt Lutherus: neq;

neq; ſigna tractabilia rerum ſignatarum, ac creditarum, vt pertendebat Zuinglius:ſed abſolutè panem cibarium,atq; vinum cuparium,in cœna nobis dat. Quamobrem cum æquè ab hæreticis,vt à Catholicis in cœna hoc ſuo memoriali pane ſeſe Stãcar ſegregaſſet, præ gaudio veri ſcilicet reperti, illa Iambica furens videlicet poëta exclamauit:

Cœna Papiſtica mala,
Lutherana multò peior,
Caluini omnium peßima,
Cœna Stancari diuina.

Atqui hoc elogio Stancari multiiuges damnantur cœnę.Primùm eñ catholica cœna ab Stancaro reijcĩt, in qua ſub panis atque vini ſpecie, Chriſtus integer piè percipitur. Deinde cœna reprobatur Lutherana, q̃ non ſpeciem panis neq; vini: ſed ipſummet panem, atque vinũ cũ corpore ac ſanguine Chriſti impiè coniunxit. Deniq; damnatur cœna Caluini, — Stãcar cœnas dãnat.

uini, quæ corpus ac ſanguinem ab altaris ſacramento cælo terraq;, auſu ſacrilego ſecludit. Quid porrò de ipſo epulone, ac cœnarum cenſore Stancaro ſentiendum ſit, ipſe ſe indicat, & aperit nobis, cùm in ſua cœna prę-ter panem atq; vinũ à propola, atq; de cuppa, nihil à ſe requirendum amplius eſſe antè denunciet: vt ita reiectis catholicis, atq; hæreticis cœnis oĩbus, ſola Stãcarana ſuperſit cœna, cuius caput memorialis, isq; cibarius panis eſt. Iam de Anabaptiſtarũ hæreſi illum quaſi arietem, quo regum politiam expugnet, producit, Licentiam benefaciendi à ſuperioribus petendam non eſſe. Et ne fortè abſque auctore Chr̃o mentiri videatur Stancar, habet Lucam teſtẽ illo, Ecce duo gladij hîc. Itaq; hic hęreticus cùm ſeſe tanquam ſcorpius poſterior cum ſuperioribus hæreticis, veluti cũ ſcorpionibus, nexu, ictu, morſuq; copulauiſſet, & illorum peſtilentiſſimis erroribus

Stancar Anabaptiſta

roribus affingit atq; annectit, ꝓ cauda de ſuo, non peſtilentem errorem aliquem, ſed ipſammet peſtilentiam, qua prægrauatæ ſuperiores hæreſes, ad extremum oẽs cõcidant: &, ꝙ viperis eſt, vna hæreſis naſcens, alteram parturientem inteſtino morſu conficiat. Nam ſectarum ac viperarum eadem natura eſt: Vt enim vipera, viperam pereundo gignit: ſic hæreſis, aliã hęreſim occaſu parturit ſuo: &, vt vipera naſcẽdo viperam extinguit, antequàm ex ea naſcatur, ita hæreſis eam, ex qua naſcitur, hæreſim dudũ circumrodit priùs, quam poſteà ligurit, totamq; deuorat. Grauis in Eccleſia ſuper cœnam Lutheri fuit hæreſis: ſucceſſit huic Zuinglij longè grauior, quæ genitoris ſui Lutheri cœnã funditùs extinxit, ita, vt ne veſtigium quidẽ cœnę Lutheranæ amplius iam vſquam extet. Horum poſteà impiorum partu editus Stancar, in eodem ſcelere & auum ſuum Lutherum,

Hæreſes viperis ſimiles.

Lutheri hęreſis de cœna extincta.

rum,& patrem Zuinglium, vno mor
ſu vtrumque enecat. Cùm enim hic
ex Lutheri cœna,corpus: ex Zuinglij
autem, ſignum corporis ſuſtuliſſet:
ſuam memorialem cœnã fecit: quâ
oẽs,non ſolùm Lutheranę,ſed etiam
Zuinglianæ de medio tolluñt, ac de-
lentur cœnæ.quandoquidẽ in Stan-
carana cœna, prçter panem,atque vi
num cœnæ materiam, de vera cœna
nihil ſupereſt amplius. Habemus er-
go,magnanime Rex, Stancaranã ſe-
Stãcari ſecta vnde ſata. ctam, immanium hæreticorũ nocte
ſatam,viperinis aculeis contra ipſos
etiam parentes ſuos inſtructam, quã
in hoc excitauit Deus,vt hac affligat
noſtræ ætatis hæreſes occulto ſuo,
atq; inteſtino morſu.Sed intereà ta-
men dum ſe in viſcera ſua hæc Stan-
carana hæreſis incitat, & quod vipe-
ræ enectæ fame ſolent,cõſumptis ſo-
cijs reliquias ipſa ſuas, quaſi caudam
ſuam rodere,verſuſque caput ſuum,
ipſa ſe rodendo,ſerpere cœperit: ca
uen-

uendum ac vehemẽter pertimeſcen-
dum tibi eſt, ne illius cruoris virus,
in tuo regno venena ſpargat,vnde fu
neſta peſtis tibi,ac pernicies reip. na
ſcatur.Eſt enim dira lues Stancarana
ſecta hæc,cuius ego vt faciem, atque
ſtaturam maieſtati tuæ iam oſtendi,
ita breuiter quoq; parẽtes illius, geni
tisq; incunabula, Maieſtati tuæ Re-
giæ demonſtrabo: vt ab ipſis incuna
bulis cognita atque perſpecta hu
ius ſectæ malefica natura, at-
que iniuſta, cum veſtigio
illam agris atque vr-
bibus tuis exter-
mines.

L DẼ

DE OFFICIO REGIS, PARS SECVNDA.

Fabulosa Græcia.

FINGVNT Gręcorũ Poëtæ, quodam tẽpore terrã informẽ ac sterilẽ fuisse, q̃ cùm Iouis satu repẽtè parere cœpisset, alibi genuit pecudes, cæterasque bestias: in Græcorũ aũt solo homines, mõstris permistos, generauit: hinc enim Cẽtimanus Briareus, hinc Centaurorũ genus, hinc Charybdis vorax, succinctaq; canibus Scylla: quæ mõstra atque portenta in Græcia nasci ideo finguntur, quòd Græcia, vt homines artibus erudiuit, præceptisq; suis absoluit: ita opinionũ cõmentis eosdẽ oppleuit, errorũq; corruptelis deprauauit: vt quos modò optimarũ artium

tium disciplinis, Deorum quasi gentiles effecisset, eosdẽ fictis fabulis, in immanissima ac fœdissima monstra mutaret. An tibi non videtur, pulsus cælo Saturnus ab Ioue filio, ad parricidiũ hortari sceleratos filios? quid captus à cęlitibus idem Iupiter, & cõiectus in robur, parúmne multitudinem armat aduersus magistratũ? Iam Ganymedis raptus, non pudorẽ soluit, legesque naturæ confundit? mitto eiusmodi exempla compluria.

Plato pellit poëtas è ciuitate sua.

Quæ cùm horreret Plato, poëtas ex ea ciuitate, quam animo fingebat, edicto sustulit. Nec verò heroicis seculis tantùm, ante Christum natum, solenne in Græcia fuit falso verum inficere, verùm etiam Apostolicis temporibus multò magis, cùm Sathan à nato, præsentique iam Deo Græcorũ artificio hoĩes studeret auertere. cùm eñ ex Iudęorũ gẽte, Catholica fides efflorescceret, & in alias etiam nationes redundaret, magnũ illi attulit

Catholicã fides ĩ Græcia floret.

incremētum Græcia. prima enim ea
prouincia fuit, in qua Christi Eccle-
sia placidum caput suum ex Iudæorū
angustijs extulit, incredibiliterq́; ex-
celluit: hîc illa primùm collocupleta
uit sese, & quasi domicilium vitæ col
locauit in suo, regnumq́; nacta Græ-
corum, Oceano, astrisque imperium

Hæreses è fabulis ortæ.

suū terminauit. Cæterùm ingenij ve
teris memor Gręcia, fabulas multi-
iuges, instituto suo, Euangelio admis
cuit, quibus candorem Ecclesiæ infe
cit, hæreticosq́;, alteros planè poëtas
cōtra Ecclesiam produxit. Quem e-
nim requirimus Homerum poëtam
mendaciorem in fabula, cum hæreti-
corum Græcorū libros legimus? aut
quos Cyclopas, Briariosq́; flagitam⁹,
Græcos cùm in manibus habeamus
ab illis ortos Machometanos, Tur-
cas, atq; Arabas Agarenos? qui præ-
ter formam & speciem, nihil habent
dignum hominis natura. Ac verò hæ

Hæresis est fabula.

resis nil nisi fabula est: vt enim in fa-
bula,

bula, sic in secta, quam hæresim Græ-
ci vocāt, nec verę, nec verisimiles res
continentur: & vt à poëtis fabella im
prudentium adulātur animi, ita quo
q; ab hæreticis secta, tāquam laqueo,
capiuntur imperiti. Proinde Paulus
apostolus hęreses ac sectas, ineptas &
aniles fabulas appellat. Neq; enim a-
liud sunt, si ad viuū reseces, et ad rē,
ad veritatē attingas. Quid enī quæ-
so hæresis habet Arrij, quàm fabulam
execti cæli à filio Saturno, ne vis vlla
inesset in cælo generandi, speciequę
simile producendi? Iam Manes Per-
sa, cùm falsa imagine humanæ formæ
Christum induit, nō tibi videtur Cir
cen, aut multiplices illas mutationes
referre Iouis optimi, maximiq́;, scili-
cet? Sed quid vetera repeto, quasi re-
centia ac noua desint.

M. Lutherus seruum arbitrium fin-
gens, non tibi fatalē parcarum neces-
sitatem, legisq́; perpetuæ & æternæ
vim, quam pronæà appellabant Stoi

ci, videtur in Ecclesiam introducere? Zuinglius etiam, atque eius auditor Caluinus, terris Chr̄m cessisse, à nobisq; abesse dum autumat, nō hoc idem valet, ac si Thetis apud Homerū flebili narraret Achilli, abesse à cælo Iouem, ad p̄stātes Æthiopas profectum? Iam ipse Stancar, dū memoriali pane, ac vino suā instruit cœnā, nō epulatur Homerico cum Ioue Iuuentate pocula ministrante? Sed q̄d verbis opus est? hæresis est nulla, quę Græcorum aliqua non exoriatur ex fabula: id qd᷑ grauis Ecclesiæ auctor Epiphanius multis demōstrat exemplis in sectarum libro, quæ vtique nil sunt aliud, q̄ merę nugę, &, vt Dauid canit, vanitates & insaniæ falsę: q̄ poena sunt peccati eorum hominū, qui plus sapiunt q̄ oportet sapere. Neq; ecclesię communi sensu sunt contenti, ac videri, quàm esse malunt sapientes. Sed illud tamen in hæresibus, illud mirabile ęst: Nullam esse, quæ spe-

Hæresis poena peccati est.

speciem veri non præ se ferat, & quæ fronte, & oratione terribilis non sit, parum attendentibus, & quasi grauiter lippientibus: veluti hîc Stancar, quàm truculentus, quàm terribilis à fronte? vt vestibula atq; aditus ad sectam facit illustres? vt fallendi viam munit speciosis causis illustribusque verbis? vt ne Paulus quidem ad veritatem potuerit melius. Quàm enim illa sunt magnifica, ac diuina, Reformatio, Ecclesia, Religio, Mores, Concilia, Patres. At in his verbis amplissimis quantum lateat cœnum, inspice, ac moue, fœtebit. nihil enim Stancar olet ex Philosophia vera, atq; germana, nihil ex Mosis lege, nihil ne è patrum quidem disciplinis, quod vitam beet aut instruat communem. quicquid enim in Stancarana secta est, pestis ac ꝑnicies regni tui est. neq; vlla tā detestabilis pestis est, quæ non nobis ab hoc homine nascatur: quem si recipimus, & si eius funestam sectam

Stācar funestus.

 in-

inueterascere in Polonia,& corroborari patimur,primùm Regiam maiestatem euerti, deinde libertatem cõmunem trucidari est necesse. Quomodo enim aut maiestas tua consistet aduersus gladium nostrum,ac be faciendi prætextum?aut libertas nostra saluabit, si in regno tuo, auctore Stancaro,versa & mutata in licentiam fuerint omnia.

CHIMAERA.

Ac mihi quidem,si proprium, & verum Stancaranæ sectæ nomen quęratur,fatalis quædam incidisse in Poloniam videtur Chimæra, ex veteribus Græcorum fabellis composita, immo monstrum verius, ex contrarijs,diuersisq;, atq; inter se repuguantibus hæreticorum studijs concretũ. quam vtique Chimæram non solùm poëtarum, verùm etiam hæreticorũ parẽs Homerus,festiuè depinxit hoc carmine.

πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Id est.

Antè leo,caudaq; Draco,medioq; Capella,
Expirans ignis fulgentis dira uenena.

Rugitus em̃ leonis ille est: A deo non licet petere licentiam malefaciendi: Quid em̃ à summo bono aliud quis petat,nisi bonum? At retro, atque à tergo, sibilo mox subsequitur Draco, atq; illud regno tuo inhalat virus,Licentiam benefaciendi à regibus petendam non esse. Nihil enim rectè,neq; ordine,exq; rep.in ciuitate agit, nisi patres auctores fuerint. Iam inter Leonem & hũc Draconẽ, illa occultatur Capra, Etiã inuito supremo magistratu,inferiores debent in iurisdictionibus suis suas Ecclesias reformare. Quæ sententia quouis odore Caprino fœdior, tetriorq; est. tollit enim ciuilem disciplinam,ac fenestram ad licentiam pandit,per quã ex libertate in seruitutem labamur: &,vt in dominatu,seruitus: in seruitute dominatus apud nos cõstituat.

Sed tamen ego hanc exanguem,& æstuantem Chimæram, veluti Bellerophōtes alter,demōstratiōe veri,quasi præteriens mactabo, & ad ratiocinationis calculos hoc commentum reuocabo. Dico itaq; huius argumēti hanc esse formam: Vt malefaciendi potestas à Deo petēda non est, sic nec à magistratu,q minister Dei est, & vt à Deo benefaciendi potestas petenda est (nihil enim possumus sine illo) ita etiam à magistratu bene agēdi,id autem est, ordine agendi potestas petenda est. aliter enim in agendo nihil ritè fiet. Hæc demum est argumenti huius recta explicatio,proportione prioris, ac posterioris constans. quam tamē cōfundit Stancar, & quasi Deus, & magistratus cōtraria duo essent,inter se,ita illis,non paria paribus,quod debebat,sed cōtraria,quod non licebat,attribuit. Tantum huius hominis in Dialecticis est acumen. Sed id tamen instituto suo facit

facit Stancar. quandoquidem eius sectæ vltimus finis est fallere, ac veras sententias falsis inficere,easq; vt aconita fuco oblita,specie veri cōtectas, porrigere incautis: vt his infatuati, à veritate desciscant: & quod prædixit Paulus, posthabita doctrina sana, ad fabulas se conuertant: ac veri fame enecti,pereant. Quod si in aliquo singulari homine priuato ab istis peccaretur, res indigna, & intoleranda videretur omnibus: nunc cùm peccetur ab illis contra remp. maiestatéq; regni, quo tandem animo esse debemus in hæc monstra,prodigiaque naturæ: quæ nisi in vita mortalium essent,nullus Regum esset vsus. quorū officium illud est summum,Eccesiam Catholicam aduersus istiusmodi Chimæras,sartam, tectam tueri. Hæc finis, hæc calx, ad quam decurrant reges est, vt regnum Christi sartum & tectum (vt aiunt) ab omni detrimento contra regnum Diaboli con-

Hæresis ꝓprium fallere.

Reges creantur ad fugandas hæreses.

conseruent. Quod regnum, diaboli inquam, ex hæresibus cõstat totum. Neq; enim Idololatrę iam supersunt vlli, quos vniuersos radicitùs è terra extraxit Aduentus Christi: quod futurum Zacharias propheta tanto antè promiserat. Quicquid igitur in huius seculi insolentia verè pietati aduersat, & cum Ecclesia pugnat, omne id hęresis dicitur, quã scriptura parit perperam intellecta. Quid eñ aliud sunt Iudæi obstinati, quàm hæretici q̃dã, ex Mosis lege procreati? Quid Agareni efferati, & immanes, totũq; genus Turcicum, q̃ assectatores veterum hæreticorũ, quos ab Arrio generatos accepimus? Omnib9 ergo hæreticis cum Ecclesia, à qua defecerũt, acerrimum bellum est susceptum: q̃ in belligerando ei rei student vni, vt ordinem Ecclesiæ peruertant: vtq́ue eo ex Ecclesia sublato, ne reip. quidẽ locum vllum in hominum vita relinquãt. Aduersus hos sceleratos, & impios

In Idololatriæ locum successit hæresis.

Iudæi hæretici.

Turcæ.

pios

pios Dei & hominum hostes, duces p̄stantissimi, reges ipsi diuinitùs sunt cõstituti, qui pro Ecclesia Chr̄i cõtra cuiusq; modi hæreses acriter propugnent, ciuitatemq́; Dei, contra ciuitatem diaboli, omnibus suis opibus defendant.

Ac regum quidem ipsorum Christianorum cõstituendorũ, causa lõgè alia fuit, q̃ regum barbarorum. Nam apud barbaros ipsi reges sunt, quasi quidã fines, quô referuntur, & quorum causa omnia in regnis fiũt. Itaq; in Barbaris caput regni, Rex: placitum Regis, lex: iustum verò id, quod regi est vtile. At in Ecclesia Chr̄i, cõtrà sunt omnia: vt enim rex regni, ita regis Ecclesia est caput: placitum Ecclesiæ, regis lex est: id iustũ regi, q̃d Ecclesiæ vtile. Postremò, in Barbaris dominantur Reges, in Ecclesia ministrant: ibi reges sunt domini, hîc verò reges sunt serui seruorum Christi. Quis dicit hoc? Rex regum, & Dñs domi-

Causa Regum constituendorum.

dominãtium Christus, qui apud Lucam illo edicto Ecclesiæ suę, sanxit disciplinam : Lucæ XXII. REGES gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed q maior est in vobis, fiat sicut iunior:& qui præcessor est, sicut minister. nam quis maior est, qui recũbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrũ sum, sicut qui ministrat.

In politijs ergo gentiũ excellentiæ Regum sunt, ac dominatus infinitæ potestatis, quę nihil aliud est, q̃ acerba Tyrannis: quã Chr̃s Rex è regno vt tolleret suo, oẽs curatores regni sui Põtifices, p̃sides atq; reges vniuersitati regni sui subiectos esse voluit: iunioresq́; atq; ministros appellauit: ꝙ hi, nisi ad cõmodũ, vtilitatẽq; regni Chr̃i referant, nullius amplius essent vsus. Et vt forma, atq; species, & quasi effigies Christiani Regis ante oculos

oculos omnium regum atq; gentiũ proponatur, tuosq́; inprimis, q tanq̃ alter Dauid bella Domini, domine mi Rex tu, præliaris aduersus cuiusq; generis hæreses: ipsum te, tibi ostendam, excelsum p̃ cunctis Regibus terræ: vt vel ex te vno clarissimo, Christianissimoq́; Rege intelligatur, quínã plenus atq; perfectus Rex est, hoc tam graui dignus nomine : & quod regibus ipsis à Deo assignatũ sit munus. Idq́ue ego faciam, non vt te tibi demonstrem, optimè eñ ipse te nosti: quámq; iunior, ministratorq́; in Ecclesia Christi sis, tua sponte meministi. Sed ne fortè subitò aliquis hæreticorum auctore Stancaro te amare incipiat, aut assentatione Stancari te delectari putet, ex ipso sacraméto coronationis tuæ ostendã proprium atq; perpetuum regum munus esse, cum hæreticis bellum acerbũ, atq; assiduum ꝓ Ecclesia catholica gerere: ita, vt nisi hæreses oppugnarent Eccle-

Poloniæ Rex, regũ exemplũ.

clesiam Christi, regum ipsorũ nullus prorsus esset vsus. Peto autẽ abs te, domine mi Rex, quò mihi per te liceat contra istos fures atq; latrones, regniq; tui hostes, coronationis tuæ capita explicare paucis, vt aliquando latrones isti desinant venenatis sententijs, & inconditis scriptis regales tuas aures offendere: cùm illis à nobis fuerit demonstratum, vt Christo cum diabolo, sic veris regibus cũ hæresib⁹ sempiternas inimicitias intercedere. Quod si Stancaro, Mãtuâ fugitiuo, & alienigenæ, funestos regno tuo Canones, maiestati tuæ obtrudere licuit, cur non liceat mihi equestris ordinis viro, ac fideli tuo subdito, pro salute patriæ, eminentem effigiem regalis præstantiæ, ex armario Ecclesiæ depromptam, contra Stancarum, reliquasque regni tui pestes, in oculis atque in auribus tuis collocare? mihi verò licet, ac semper licebit, egregiam meam erga maiestatẽ tuam

tuam fidem, omnibus meis dictis, scriptis, factis, testificari.

CORONATIO REGIS.

Quamobrem pone tibi illum ante oculos diem, cùm viro Sigismundo patre optimo, atque glorioso rege, oĩm ordinũ cõsensu designat⁹ Poloniæ Rex, à Patribus conscriptis, equitibusque Polonis, ad Ioannem Lascium Metropolitanum, in ædem Stanislai deducerêre Cracouiæ coronandus. Redi in memoriam, vt tum sacrario tenus cõparueris in illa multitudine Baronum, Equitumque: vnde à Pontificibus exemptus è militari cœtu, ad Metropolitanum Gneznensem, vt minor ad maiorem, vt filius ad patrem, fueris deductus, & altaribus religiosissimis admotus. Quo quidem tempore ex deductoribus Episcoporũ alter, ꝓ te supplex ad Metropolitanum veniebat, atque hæc illum postulabat.

M Postu-

POSTVLATIO.

REuerende pater, postulat S. mater Ecclesia, vt præsentem egregium militem, ad dignitatem Regiam subleuetis.

Rex supplex sacerdoti.

Hæc postulatio docet, Regum cõstituẽdorum Ecclesiam causam esse, quos ipsa ad vsus suos à Metropolitano postulat creari, qui solus egregios milites ad regium honorẽ subleuandi summam habet potestatẽ. Non ergo summus sacerdos subiect9 est Regi, vt mentitur Stancar: sed rex ipse supplex est sacerdoti: quem etiã propterea aperto capite stans, vt minorẽ decet, more patrio patrem appellat, ac dignitatem regalem à Metropolitano postulat, & expectat: quam illi nisi Metropolitanus dederit, aliunde regnandi copiam Polonus rex non possit petere. Porrò aũt audiat Stancar, audiant hæretici, audiãt Ecclesiæ hostes, quàm sublimi vertice Metropolitanus hoc loco feriat sidera: dũ qui-

quidem quasi in regum censu, ex auctoritate in regem inquirit coronandum, illud à deductoribus Episcopis rogans.

METROPOLITANVS.

SCitis, illum esse dignum, & vtilem ad hanc dignitatem. RESPONDENT. Et nouimus, & credimus eum esse dignum, & vtilem Ecclesiæ Dei, & ad regimen huius regni.

Finis Regalis celsitatis.

En vsus regum, finisq́ue regiæ celsitatis Ecclesię vtilitas est, quę tantopere ad Ecclesiam refertur: vt nisi deductores Episcopi testificarent, militẽ illũ dignũ, & vtilẽ in regnando Ecclesiæ Dei futurũ, egregius ille miles ꝓ Corona, à Metropolitano sine dubio referret repulsam. Nolo exaggerare verbis hoc in loco Pontificiale munus, rerum omnium præstãtia excellens: malo id ex ipsius Metropolitani cohortatione cognosci: in qua plurima præcepta, eaq́; salutaria, bene viuendi ac bene regnandi regibus tra-

traduntur : quam ad verbum infrà scripsi.

COHORTATIO METROPOLITANI.

CVM hodie per manus nostras optime princeps, qui Christi saluatoris nostri vice in hac re fungimur, quamuis indigni, sacram vnctionem, & regni insignia sis suscepturus: bene est, vt te priùs de onere ad quod destinaris aliquantulũ moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, & regendi fideles populos tibi cõmissos, curam sumis: Præclarum sanè inter mortales locum, sed discriminis laboris, atq; anxietatis plenum. Verùm, si consideraueris, quòd omnis potestas à domino Deo est, per quem reges regnant, & legum cõditores iusta decernunt: quodq́; de grege tibi commisso ipsi Deo rationẽ es redditurus; Primùm pietatẽ seruabis, dominum Deum tuum tota mente, ac puro corde coles: Christianam religionem, ac fidem catholicam, quam ab incunabulis professus es, ad finem vsq; inuiolatam retinebis: eamq́; contra omnes aduersantes, pro viribus defendes: Ecclesiarũ prælatis,

latis, ac reliquis sacerdotibus, cõdignam reuerentiam exhibebis: Ecclesiasticam libertatem non conculcabis: iustitiam, sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes incõcussè administrabis, bonis præmia, noxijs debitas pœnas tribuendo: viduas, pupillos, pauperes, ac debiles ab omni oppressione defendes: omnibus te adeuntibus benignum, mansuetum, atq; affabilem pro Regia tua dignitate te præbebis: & ita te geres, vt non ad tuam, sed ad totius populi vtilitatem regnare, præmiumque benefactorum tuorum non in terris: sed in cælo expectare videaris. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus in secula seculorum, AMEN.

Hæc cohortatio, quid habet aliud, nisi Metropolitanum in coronando rege, vice Christi regis esse: ipsum verò regem patronum pietatis esse, ꝓpugnantem pro Ecclesia contra hæreses, tanquam Dei ac summi sacerdotis ministrũ: qui propterea ad pedes Metropolitani sese abijcit, manusq́; eius venerabundus osculatur, *Metropolitanus vice Christi est.*

 &

& ab illo regio ſacramento pro ſalute regni obligatur.

SACRAMENTVM.

EGO Sigiſmūdus Auguſtus, Deo annuente futurus Rex Poloniæ, profiteor, & promitto coram Deo, & angelis eius, deinceps legem, iuſtitiam, & pacem Eccleſię Dei, populoque mihi ſubiecto pro poſſe, & noſſe facere atq; ſeruare, ſaluo cōdigno miſericordiæ Dei reſpectu, ſicut in conſilio fidelium meorum melius potero inuenire. Pontificibus quoq; Eccleſiarum Dei condignum, vt Canonicum honorē exhibere: atq; ea, quæ ab Imperatoribus, & Regibus Eccleſijs collata & reddita ſunt, inuiolabiliter obſeruare. Abbatibus, Comitibus, & Vaſallis meis congruū honorem, ſecundum conſiliū fideliū meorum præſtare. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Eat nunc Stancar, ac Polonū Regem

gem tanto ſacramento à Metropolitano inauguratum, pelliceat ad ſeſe: atq; hoc iuſiurandum, quod in Epiſcoporum cœtu, tanq̃ in Deorū concilio, ad aras magna voce iuraſti, extorqueat tibi de manibus: vt videlicet inductus à Stācaro, & Eccleſiam Dei deſeras, quam tu quaſi deſponſam in fidem tuam recepiſti, vt eā pacificam redderes: eiuſq; antiſtites, ſicut alteros parentes, obſeruares, & coleres: & eoſdē Epiſcopos loco, ac ordine ſuo moueas, quorum manibus regnum ad te delatum poſſides. Quo etiam maiore odio ſunt digni, qui aduerſus hoc veriſſimū, pulcherrimumq; iuſiurādum, libris editis, ac per Poloniam diſſipatis, ad manifeſtū periuriū maieſtatē tuā adhortantur: vt ei Metropolitano bellū inferas, cui coram Deo, & ſanctis angelis eius, fidem dediſti: te Pontificij iuris defenſorē, & quaſi patrimonij Chri propugnatorē regno ſuſcepto fore.

Hæretici ad periuriū reges hortantur.

 Quid

Quid est Rex optime, maiestatem tuam lædere, si hoc non est? aut quo in maleficio vindicando officium tuum extabit regium, si in hoc istorum nefario scelere conticescet? contra quos tu vt athleta fortis oleo vnctus es, tāquam regni Christi regis particeps. Quod vnguentum admoneat te, tibi cum Christo & amicos, & hostes esse communes. Atque huius mysterij illa sunt grauissima verba.

VNCTIO.

DEVS, Dei filius, IESVS CHRISTVS, dominus noster, qui à patre oleo exultationis vnctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sanctę vnctionis infusionem, Spiritus paracleti super te benedictionem infundat: eādemque vsque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc visibili & tractabili oleo, Dona inuisibilia percipere, & temporali regno iustis moderationibus executo, æternaliter conregnare ei merearis: qui solus sine peccato, REX regum viuit, & gloriatur cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus,

Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

En vnctor, atque aliptes tuus Metropolitanus, communicat tecum oleum illud lætitiæ, quo Christū suū Deus vnxit præ participibus eius, vt tu veluti Dauid alter spiritu Dei plenus, miles fortis euadas, ad prælia domini prælianda. Et quoniā te hîc vnguento mystico similē reddidit Christo domino: cum Dauide aūt, cū Salomone, cum Iehu atq; Azachele, & cū alijs veteribus regibus, à sacerdotibus vnctis, te adæquauit, & omni regali præstantia te illis parem fecit. An non tollendi, euellendiq; sunt tibi è regno tuo omnes aduersarij huius amplissimæ Metropolicę potestatis, vnde Regalis tua nascitur potestas? p̄sertim cùm aduersus istos Dei & hominū hostes porrigi tibi videas ab ipso Deo gladium Metropolitani manu.

Rex Christus est.

Hæretici iure tollendi.

GLADIVS.

Metropolitanus.

ACcipe Gladium desuper altari sumptum, per nostras manus, licèt indignas, vice tamen, & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, regaliter tibi cõcessum: nostræq; benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ, diuinitùs ordinatum, ad vindictam malefactorum, laudẽ verò bonorũ: & memor esto, eius, de quo Psalmista prophetauit, dicẽs: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: & in hoc, per eundem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiã, eiusq́ue fideles, propugnes atque protegas. Neque minus sub fide falsos, q̃ Christiani nominis hostes execreris & disperdas. viduas atque pupillos cleměter adiuues & defendas: desolata restaures, restaurata conserues, vlciscaris iniusta, cõfirmes bene disposita: quatenus in hoc virtutũ triũpho gloriosus, iustitiæq; cultor egregius, cum mundi Saluatore, cuius typum geris, in nomine, sine fine regnare merearis: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum: Amen.

Rex Christi typum gerit.

Hæc

¶ Hæc est Regalis præstãtiæ summa, quæ tota gladio continetur, quo te, tanquam Imperatorem, populo suo præfecit Deus Opt. Max. ac vitã, fortunasq́; nostras sub imperium, & sub tuam iurisdictionem subiunxit. Quo verò loco, quóue numero gladi9 regalis tuus esset à nobis habendus, docet Paulus, cuius verba adscripsi: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori, boni operis, sed mali. Vis autem nõ timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum: Si autem malum feceris, time. non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in irã ei, qui malum agit.

Hoc

De sublimioribus potestatibus q̃stio.

Hoc loco ego à Stancaro, & à cæteris hæreticis, qui pontificiæ obtrectant potestati, vt cum ea simul regalis potestas extinguatͅ: Ab ijs inquā quæro, si omnis anima, id autem est mortales vniuersi, hoc Pauli edicto subiecti esse debēt potestatibus sublimioribus, quæ nam sunt illę potestates sublimiores. Quod cùm constiterit, quæram adhuc ab istis, quo ordine dispositæ, aut quo graduum discrimine potestates istæ inter se sint ordinatæ. Nec verò dubium est, cùm constemus ex animo & corpore, q̃n potestates quoq; diuinitùs vtrinque sint nobis datæ, quarum altera corpus, animum tueatur altera. Quoniā verò in homine præter animum atq; corpus nihil est tertium, vnde extet homo: neq, potestas etiam in homine tuēdo, præter has duas, vlla requiritur tertia. Porrò, quis negauerit? animos hominum per sacerdotes curari, eorum aũt corpora reges tueri? in

Duæ potestates tantùm sunt.

in hosq; vsus gladios illos duos hominum vitæ esse datos, quos satis esse regno suo administrando Christus apud Lucam definit? Quanta autem cum auctoritate hæ duę sint in Ecclesia potestates, Christus ipse exemplo nos docet suo, qui & Caiapham sacerdotem, & Pilatum præsidem, moriendo pro nobis sine vlla exceptione agnouit. Sed cùm constet duas esse potestates in hominum vita, scire ex Stācaro, atq; ex eius parib9 aueo, vtra vtri præstet: nam neutram præstare alteri, nefas est dicere. Etẽ natura, tametsi quicquid genuit, perfectum esse in suo genere voluit: tamē nunq̃ res duas generat ita ęquè perfectas, quin in eodem genere altera præstet alteri: quemadmodum in potestatibus ipsis videre licet. Quāuis enim Deus, ac mater (vt ita dicam) rerum omnium natura, in tuēdo homine has potestates duas copulauerit: ita, vt altera absq; altera ad cōseruan-

Qui ordo inter potestates.

uandos homines non satis habeat fir mitatis, tamen multum re ipsa inter se distant istæ potestates: longeque sunt diuersę, atq; seiūctę auctoritate, gradu, loco, pōdere. Quāta eñ aucto ritate Pontificialē potestatem prædi tam esse arbitramur, quam Deus ore suo diuino instituit? cùm tamen cæteras potestates humano opere, & quasi artificio alieno instituerit. Ac veluti cùm hæc vniuersa, atq; omnia Deus crearet, & generaret, in cæteris rebus inanimatis, atq; mutis fingendis, creandisq;, edicit illo modo edicta: Germinet terra herbam virentē, Fiant luminaria, Producant aquæ reptile & volatile, Producat terra iumēta, & reptilia, & bestias terræ. At cū ad hominis creationem est ventum, conuersa oratione ipse dicit: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & pręsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili. ita

Potestas spiritualis princeps.

Gen. 1.

ita proximè homo creatus est à Deo cętera verò inanimata atq; muta opere à Deo effecta, atq; edita sunt alieno. Ad quē modū hę duę potestates à Deo creant. Nā cùm Saulū regē creari Deus iubet, hæc de illo creando Samueli mādat: Hac ipsa hora quæ nūc est, cras mittam virum ad te, de terra Beniamin: & vngues eum ducem super populum meum Israel. Itemq; illud, in Dauide ad eundem Samuelē ait Deus: Surge, & vnge eum: ipse est enim. Non tibi hîc creari videntur reges peræquè, vt res terrestres, in quibus creandis ille audiebantur voces, Fiat, germinet, producat? At cùm ad creationem sacerdotis est ventum, mox conuersa fit creatio: Ipsummet enim os Dei per se sacerdotem creat: neque in illo creando, vllius alterius vtitur opera. Ait enim ipsemet ad Noah, Fac arcam: ad Abraham, offer: ad Mosen, imola. quod idem est, ac si diceret, sacerdotio fungitor,

Regis creatio qualis

1 Reg.

Creatio sacerdotis.

gitor, vel esto ſacerdos. Sed hæc vetẽra, veniamus ad noſtra: Chriſtus Ieſus, Deus, & dominus noſter, in euocandis ſacerdotibus ad Apoſtolicum munus, hac voce ipſemet vtitur: Sequere me. Neque verò cum eis, quos euocabat, per alios, quod quidẽ facit in regibus, ſed ipſe poteſtatẽ ſuã communicabat. Nã ipſemet poteſtatem illis eijciendi dæmonia, & ęgrotos curandi attribuit: ipſe claues dedit, ipſe cõſecrauit, ipſe prædicatum eos miſit. Poſtremò ipſe illis vniuerſum humanum genus ſine exceptione ſubiecit, atq; auctoritatẽ ipſorum apud omnes imperatores, atq; reges plebesq; pręmio, ac pœna ſanciuit. ait em̃, Qui crediderit, id eſt, vobis, & baptizatus fuerit, id eſt, à vobis, ſaluus erit. Qui autem non crediderit, id eſt vobis, neq; baptizatus fuerit, à vobis, condẽnabitur. Horribilis oratio, quam horreant, & reformidẽt reges, atq; Tyranni omnes, ijs inprimis, qui

qui hęreticorum ſuaſu ſegregant ſeſe, ac ſacerdotibus ſe anteponunt. Ergo Rex per hominem fit, ſacerdos autẽ proximè naſcitur ex ipſo Deo: tantumq; hic præſtat regi, quantum erectus homo præſtat animanti ad paſtum abiectæ. Etenim, vt homo imago Dei eſt: ita ſacerdos imago Chriſti eſt: & vt homo tuetur terras, ita ſacerdos tuetur reges, corporatarum rerum cuſtodes. Et vt ſacerdos interioris hominis tutor, ita Rex exterioris eſt defenſor. Et, vt infinita in pauca conferam, ſic res eſt: Quantũ Deus pręſtat ſacerdoti, tantum ſacerdos præſtat regi. Iam ſi cauſam, ortumq; vtriuſq; gladij conſideres, Pontificialem gladium ad reconciliationis miniſterium exequendum, regalem aũt ad ſeceſſionem populi coërcendam, ab ipſo deo fabricatas eſſe dices. Nã ab Abel iuſto, ad Samuelem vſq;, nullus fuerat Rex in Dei populo. Viuebant omnes ſacerdotibus, hoc eſt, ipſi

Quantũ ſacerdos pręſtat Regi.

N Deo

Deo, ſubiecti. At cùm ſacerdotale regnum Iſrael cõtempſiſſet, & ad morem gentium barbarorum regẽ à Samuele flagitaſſet, audi quid Samueli dicat Deus: Audi vocẽ populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non eñi te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos, pro qua ſanè ratione Samuel acerrimè populum illum reprehẽdit. Inuocabo inquit, dominum, & dabit voces, & pluuias, & ſcietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu, domini, petentes ſuper vos regem. Hinc planum eſt, ſeceſſionem populi à ſacerdote, id aũt eſt ab ipſo Deo, regum conſtituendorum cauſam fuiſſe, vt etiam legum, quas propter tranſgreſſores latas eſſe Paulus ſcribit. Neque verò malum eſt eſſe, vt legem, ita quoque regem: ſed illud ipſum malum eſt, quod à rege, atque lege in nobis eſt vindicandũ, nempe ipſa impietas, atque ſcelus, ad quæ naturaliter feri-

1 Reg. 7.

1 Reg. 12.

Cauſa inſtituẽdorũ Regum.

ferimur proni: quæ niſi amore iuſtitiæ, quod ſacerdotis inſtinctu fit, ex hominum animis radicitùs tolluntur atque extrahũtur, præſtò adſit rex armatus cum gladio neceſſe eſt, qui pœnarum metu homines ab his malis refrenet: & ſub ſacerdotis, hoc eſt, ſub Dei poteſtatem gladio ſuo redigat, aliter ſalua hominum vita non erit. Cùm itaque reconciliatio hominis cum Deo ſacerdotis procrearit, reges autem ipſos hominum ſeceſſio fecerit: tantò ſacerdos præſtat regi, quanto reconciliatio præſtat ſeceſſioni. Qui quidem rex diuinitùs eò datus eſt, vti iam diximus, ne homines vi naturæ & ingenij mobilis elati, contempto ſacerdote ſummo, ſecedant ab Eccleſia, & ſe à ſacerdotibus dei ſecernant. Ac veteres illi, admodùm antiqui, vtramque poteſtatem ſpeculati, duobus luminaribus, quibus illũminatur terrarum orbis, has

Sacerdos quo pſtat Regi.

Duobus luminaribus, duę poteſtates ſimiles.

has duas poteſtates aſſimulabant: So
li videlicet, ſacerdotem : Lunæ verò,
regem æquiparantes. Idq; iure & me
ritò: vt enim Sol diei, ita ſacerdos hu
manæ prælucet menti. Et vt Luna p̄-
eſt nocti, ita Rex præeſt corpori, q̄ ha
bemus cum iumentis commune. Et
vt Solis radijs incenſa illuſtratur Lu-
na, ita Pontificiali fulgore regalis illu
minatur poteſtas. Deniq;, vt Luna, ni
ſi aduerſum intueatur Solem, obſcu-
ra, & cæca fit: ita regalis poteſtas, ni-
ſi ſacerdotem reſpiciat, euaneſcit, can
doremq; ſuum amittit. Cuius rei ex-
emplum Regibus, vtile in vtranque
partem, proponitur in Saulo rege: q̄,
quandiu Samueli ſacerdoti parebat,
quandiu illius dicto audiens erat, tā
diu externorum bellorum, hoſtium-
que victor fuit. De quo illud eſt in li
1 Reg. 14. bris Regum elogium: *Saul confirmato reg
no ſuper Iſrael, pugnabat per circuitum aduerſus
inimicos eius: contra Moab, & filios Amon, et E-
dom, & reges Soba, & Philiſtæos, & quocunq; ſe
uerte-*

uerterat, ſuperabat &c. At poſtquam ille
ſacerdotem præ ſe pro nihilo duxit, il
liusq; iuſſa contempſit, protinus abie
ctus eſt à Deo, ne ampliùs rex eſſet.
ita is, dum ſe à ſacerdote ſegregat, &
dum ipſe ſibi in agēdo auctor eſt, eo-
dem momento & regno exuitur, &
ſpiritu Dei deſtituitur. De quo illud
horribile documentum regibus ex-
tat perſcriptum: SPIRITVS autem 1 Reg. 16.
domini receſſit à Saul, & exagitabat
eum ſpiritus nequam à Domino. En
Luna auerſa à Sole repentè deficit,
cādoremq; amittit. En ouis, abſq; pa-
ſtore perit: en ex ſummo rege eueſti
gio mancipium fit Sathanæ. Quo ex Sacerdos
emplo ante oculos poſito, quis nega omnibus
uerit verum eſſe id, quod nos ſuprà rebus ſupe
diximus, ſacerdotem rege præſtantio rior Rege
rem eſſe, Auctoritate, Dei enim crea
tura eſt: Gradu, proximus enim Deo
eſt: Loco, auctor enim regis eſt: Pon
dere, alter enim Deus regiæ celſitatis
ille eſt. Iam ſi dans accipiente (Chri-
 ſto

ſto teſte) beatior, potiorque eſt, quomodo ſacerdos rege antiquior non erit, cùm nihil rex ſacerdoti de ſuo addat munus: contrà verò is ipſe rex nihil habeat, quod non ſacerdoti referat acceptum? Quamobrem qui regem anteponit ſacerdoti, is anteponit creaturam, creatori: ouem paſtori: filium, patri: poſtremò, hominem Deo ipſi, cui ſacerdos pro manu eſt: qua gladium de ſuo altari promptũ, in manum regi Deus tradit, vt eo ipſo rex altare Dei defendat: neque patiatur contra hoc ipſum altare, vnde gladium ſumit, aliud altare erigi aduerſum. Ex qua ratione ſatis conſtat, regem nihil aliud eſſe, niſi defenſorem armatum, cuſtodemque altaris: Hoc eſt, ſacrorũ, religionum, cerémoniarũq; oĩm, ſacerdotis manu diuinitùs conſtitutum, ob id, vt ſi quis ipſum hoc altare violare ꝑgat, ꝑſtò adſit vindex cũ gladio rex q aduerſariũ hoſtemq; hui9 altaris feriat & repellat.

Rex cuſtos altaris.

Hic

Hic ordo Rex inuicte harũ duarũ poteſtatũ eſt inter ipſas, quẽ ordinẽ qui turbat, aut ꝑuertit, ordinationi Dei apertè reſiſtit: regio gladio ꝓpterea feriẽd9. Quod luce palã facit Stãcar, cui parũ viſum fuit, contra ordinationẽ Dei Regẽ ſacerdoti, hoc eſt, gladiũ altari anteponere, niſi etiã ſubiectę tibi nobilitati, ſingularẽ ſuũ attribuiſſet gladiũ, gladio tuo aduerſum: q cùm ex altari à ſacerdote deprõpt9 nõ ſit, nõ eſt à Deo hic gladius terti9: neq; locum inter duos Chr̃i gladios, ſublimioresq; ab illo inſtitutas poteſtates, habet vllum: ſed extra ordinẽ, immò contra ipſum ordinem, à diabolo ſumptus, per hæreticos in tuo regno diſtringitur cruentus, vt eo fortior vtatur, vt vis religionibus, legibus, atq; moribus afferatur: vt ſanguine ciuili Polonia repleatꝛ: vt gladius tuus regius hoc ipſo gladio hębeteꝛ. Poſtremò, vt vis hęc omnis, poteſtaſque regalis, quam ſumpſiſti de Põtificiali

Stancar ordinationi Dei reſiſtit.

Hæreticorũ gladius.

ciali

ciali manu, eripiatur tibi, extorqueaturq; de manibus, extinguatur ac deleatur. Hic sensus est, hæc mens huius Stancarani gladij Rex inuicte: tuum latus mucro ille petit, quem tu in Rempub. tuam, iam districtũ primò quoq; tempore nisi retundis, & nisi illum à iugulis nostris reijcis, omnes sublimiores potestates in Polonia hic gladius peruertet, maiestatem tuam minuet: & hanc coronã, quæ tibi, capitiq; tuo Pontificiali manu est imposita, conuellet, ac labefactabit. vt illam in Græcia olim, nuper verò in Germania, atq; in Anglia labefactauit, totamq; conuulsit. Sed vt huius Stancarani gladij aciem omnibus regnis, regibusq; æqualiter horribilẽ, & formidolosam commodius ante oculos maiestatis tuæ, regniq; tui proponam, vt excelsitati tuæ à Metropolitano diadema fuerit impositũ, demonstrandum paucis prius est.

DIADEMA REGNI.

ACci-

ACcipe Coronam regni, quæ licet ab indignis, Episcoporum manibus capiti tuo imponitur, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quam sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis intelligas significari. & per hanc te participem fieri ministerij nostri non ignores. Ita, vt sicut nos in interioribus pastores, rectoresq; animarum intelligimur: ita, & tu contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi defensor adsistas, regniq; tibi à Deo dati, & per officium nostrę benedictionis in vice Apostolorum, omniumq; sanctorũ regimini tuo cõmissi, vtilis executor, perspicuusque regnator semper appareas: vt inter gloriosos athletas, virtutũ gemmis ornatus, & pręmio sempiternę felicitatis coronatus, cum Redemptore, & Saluatore nostro IESV CHristo, cuius nomẽ vicemque gestare crederis, sine fine glorieris. Qui viuit, & imperat Deus, cum Patre, & Spiritu sancto in secula seculorũ. Amẽ. Metropolitanus.

NVNC iam galeatus minister Dei es, nunc ad Christum, spinis coronatum regem, propiùs ades, cũ nõ solùm vnctus, verùm etiam illius in- REX ad Christũ pertinet.

star

ſtar coronatus, Rex in Polonia compareas. Quæ ſanè Regalis galea, redimita cruce, à Metropolitano capiti tuo Nomine ſanctæ Trinitatis ideo imponitur, vt illud nomen, quod eſt ſupra omne nomen, contra eius nominis hoſtes, hac armatura defendas. Inſignis eſt hæc galea Sigiſmunde Auguſte Rex, & cono ſuo terribilis tuis, tuorumq́; hoſtibus, quæ in tuo ſacrato, & Eccleſiæ Chriſti dicato capite, illis eximijs virtutibus, quaſi gemmarum fulgẽtibus globis, illuminatur, Sanctitate, Honore, Fortitudine. Quid porrò eſt ſanctitas aliud, quàm ſcientia Deum colendi? Quid honor, quàm perpetuæ virtutis præmium? Quid fortitudo, quàm virtus propugnans pro æquitate? At vide, vt in hac ornamenta honoris, regaliſque præſtantiæ, hæc Chimæra Mãtuana inuadat, caudaq́; verrat, ac depaſcat omnia? iubet enim Stancar Canonibus tibi dicatis, vt Papã,

Galea inſignis.

Sanctitas.

Honor.

Fortitudo

Stãcar honorẽ regiũ conuellit.

cæte-

cæterosq́; ſacerdotes publicos, tanq̃ idololatras auerſere: quod non eſt aliud, niſi vt particeps pro eo, ac es ꝓfeſſus, miniſterij Pontificialis ne ſis. Mandat idem, vt regnum Papæ deſeras, hoc eſt, vt honore regio careas, à Papa ſeiunctus, qui Sexingentis ab hinc annis maioribus noſtris ius coronandorum regum dedit: & ob cædem factam, qua Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus à Boleſlao rege eſt occiſus, interceptum idem ius Polonis ab integro reſtituit. Iam fortitudini tuæ in eiſdẽ Canonibus, quãtas inſidias hîc ſtruit? qui te à Papa, tanq̃ à Samuele ſummo ſacerdote per fallacias ſegregat: & in Saulum impiũ imbellem, ac timidum regem mutat, vt nullum opus efficere, nullum munus officij regij exequi poſſis, ſpiritu fortitudinis in ſeceſſione caſſus. Sed animaduerte huius monſtri fallendi aſtutias. Hoſtem enim Stancar ſacerdotibus idololatriæ nomine profeſſus,

Stãcar per ſacerdotes Regem petit.

feſſus,

ſeſſus, ad honorem tuum regium ſenſim obrepſit, ac lauream illam maiorum noſtrorũ magnitudinis animi, & fortitudinis præmium ſemper virẽtem, atq; in tuo genere maximè inſignem, ad eundem modum depaſcit: quo in Oriente, atq; in Occidẽte hęc eadem laurea apud alias gentes, ab hęreticis eſt depaſta. Velim verò Rex magnanime, vt à te ipſo, atq; à tuo regno ampliſſimo, latiſſimoq; pauliſper animum abducas, & ipſum orbẽ terrarum animo, & cogitatione percurras: nullum regnum offendes, quod ſpecie, atq; vſurpatione pietatis, hæreſis non vaſtauerit, afflixerit, perdideritque. Prima ab Oriente occurret tibi Græcia, fabularum (vt ante dixi) hæreticorumq; mater: vnde extitit Arrius, hoſtis ferus & immanis Eccleſiæ: qui Papam Romanum primus apud Grecos idololatrię reũ fecit, quaſi is Cõſubſtãtialitatis ꝓfeſſione tres deos pro vno Deo coleret. Et cũ mobilis

Hæretici ſpecie pietatis regna euertunt.

bilis Gręcia, verſutiſſimi hominis arte ab auctoritate Papę diſceſſiſſet, infinitas ſectas ex Arriana ſecta generauit, à quibus vaſtata, vexataq; & nomẽ, & ornamẽta imperij amiſit. Trãſi nunc Occidentem verſus, & Germaniam aſpice, quæ plauſibili oratione Lutheri, primò contra indulgentias, deinde contra iurisdictionem Põtificialem excitata, vſque ad Smacaldicam coniurationem producta fuit: tantumq; ſimulatio illa, ſpeciesq; Lutheranæ pietatis apud Germanos valuit, vt niſi Deus ipſe imperij Romani cuſtos, repugnantibus (vt ita dicam) fatis, Carolum Imperatorem ſeruaſſet, in tam exitioſa coniuratione Imperatori Romano fuerat pereundum. Sed tamen & diſputatio Philippi Melanchthonis de iure gladij, cuiꝰ auctoritate in Canonibus nitiẽ Stancar, fugitiuorum bellum aduerſus iuſtos dominos conflauerat. Quo bello Germania ſuis penè conuulſa ſedibus,

Germaniæ clades.

bus, nõ procul aberat ab interitu, ocasuq́; imperij. Quid Anglia? cùm illi primò Lutheranã pestẽ Martinus Bucerus: deinde Zuinglianã Petrus Martyr inhalasset, non falsæ pietatis imagine stirpem, veterum Angliȩ regum è regno suo euulsit? nõ ornamẽta regij honoris, coronam, ac sceptrũ amisit? quæ eo statu nunc est, vt non amplius gens illa regnum, sed confusio aperta sit, atq; dicatur. Mitto Boëmiam, quam etiam nunc scelere hæreticorum videmus laceratam. Tantum valet hæresis ad regnorum pestem, vt nullum regnum sit, in quo hæresi aliquid est loci, quod non labatur, ruatq́; funditùs. quæ exempla documento nobis sint, vt hæreses fugiamus, easq́; ex Polonia extermine- mus priùs, q̃ regnum, regniq́; coronã amittamus. Et cùm cæteras sectas studiosè vitare debemus, tum Stancaranã maximè, quæ veluti Chimæra, Draconib⁹ à tergo succincta, atq; multis

Angliæ interitus.

Boëmiæ.

Stăcari hæreses fugiendæ.

tis feris, & immanibus belluis comitata, oẽs, q̃ vspiam viguerunt hȩreses, ex toto orbe terrarum collegit, & eas in Poloniã introduxit, totaq́; Sarmatia dissipauit. Cui idem propositũ est quod & veteribus, recentibusq́; hæreticis, vt ne in Polonia sacerdos, néue rex vllus esset, qui more maiorum, in optimè cõstituta rep. nostra iustè & legitimè imperaret. Aduersus quem regni tui hostem, aut hoc remedium est solum, quod tibi pariterq́, cũ sceptro à Metropolitano dat̃, aut si ne hoc quidẽ contra hanc perniciosam, exitialéq́; Chimæram nobis ꝓfuerit, profectò nulla medicina inueniri poterit, qua regnum tuum sanetur.

SCEPTRVM.

Metropolitanus.

ACcipe virgam virtutis atque veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapsis manum porrigere, dispergere superbos, & releuare humiles: & aperiat tibi ostiũ IESVS CHRISTVS domi-

dominus noster, qui de semetipso ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur: qui est clauis Dauid, & sceptrum domus Israel: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. sitque tibi auctor, qui eduxit vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, & vmbra mortis, & in omnibus sequi merearis eum, de quo Dauid propheta cecinit: Sedes tua Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. Et imitando ipsum diligas iustitiam, & odio habeas iniquitaté: quia propterea vnxit te Deus, Deus tuus, ad exemplū illius, quem ante secula vnxerat oleo exultationis præ participibus suis, IESVM CHRISTVM, dominum nostrum, qui cū eo viuit, & regnat Deus in secula seculorum. AMEN.

Regū officium. HOC Sceptro describitur Regium officium, atq; munus, vt eius Sceptri illi amplissimi videantur esse fructus, disperdere superbos, & releuare humiles. Sed tamen hoc Sceptrum nec virebit, nec florebit, nec fructus edet

Rex perit à sacerdote segregatus. vnquam, nisi regibus Aarōtis, Samuelisue porrigatur, ac tradatur manu. Nam

Nam vt sceptrum, siue virga, quamuis arida illa, præter cęteras virgas in solius Aarontis ante Mosen effloruit manu: sic in eorum regum manibus regale sceptrum semper floret tantū, qui in sacerdotis summi sunt fide: à quo mox quàm se reges auerterint, arescit illorū sceptrum, ac viriditaté suam amittit. E vestigio enim peruersi, ac præposteri reges euadunt. Terrent pios, mulcent impios. Errant cū errantibus, labuntur cum lapsis: Disperduntur cum superbis, aduersant humilibus: &, vt in pauca conferam, virgines redduntur illæ fatuæ, quę extinctis lampadibus à ianua cælestis regni repelluntur. Ac re vera reges, qui sese à fide summi sacerdotis segregāt, nil nisi fatuæ virgines sunt: carent enim fide, carēt suorum charitate, nulla spes bona prælucet illis in posterū: diurno ac nocturno torquentur metu, ardent libidine, dum in perditis regnis conscientia illos cruentat, ac

O persi-

perfidia lacerat: quorum etiam regũ, propterea sæpe exitiales fiunt exitus, cùm nulla certa, stabiliq; cũ sibi subiectis coniunguntur fide: idq; iure ac meritò. Etenim rex, suum qui spernit superiorem, dignus non est, cui obediat inferior. Qui ergo Rex rectè, & ordine regnare volet, Sceptrum por rectum Pontificiali manu tenebit, iustitiam colet, hoc est, eum sacerdotẽ verebitur, venerabiturq;: atq; eius auctoritate nitetur, à quo hæc tanta ornamẽta dignitatis, atq; potestatis accepit. Neq; enim aliud est iustitia, q̃ affectio animi, suum cuiq; tribuẽs: & societatẽ cõiunctionis humanæ munificè, & æquè tuẽs. Cùm ergo sacer dos ille summus succedat apud nos in Christi locũ, quomodo reges illi summè iniusti non erunt, apud quos, tanquam apud filios, hic sacerdos parentis grauitatem non obtinebit? Neq; enim suum tribuent ei, cui oĩa summa debẽt: societatẽ etiam cõiunctionis

Iustitia quid.

nis humanæ dirimẽt, dum ab eius auctoritate discedunt, cui soli mandatum etiam de regibus illud est, *Pasce agnos meos*. Quamobrem, vt reges benè ac beatè regnẽt, iusti sint necesse est: id autem est, Ius vnicuique tribuant pro dignitate cuiusq;. Inprimis autẽ summo sacerdoti, à quo autorantur atq; in regali solio collocantur infrà scriptis verbis.

INTHRONIZATIO REGALIS.

STA, & retine amodó locum tibi à Deo delegatum, per auctoritatem omnipotentis Dei, & per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum, cæterorumque Dei seruorum. ac quantò clerũ sacris altaribus propinquiorẽ prospicis, tantò ei potentiorem, in locis congruis honorẽ impendere memineris. quatenus Mediator Dei, & hominum, te mediatorẽ cleri, & plebis, in hoc regni solio confirmat: & in regnum æternum secum regnare faciat, IESVS CHRISTVS, dominus noster, Rex regum, & dominus

Metropolitanus.

dominantium. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus, per omnia secula seculorum. AMEN.

HIC est ille altissimus Regiæ maiestatis gradus, in quo reges manibus Dei ad defensionem Ecclesiæ collocantur: quem sanè gradum, sedē Dauid Gabriel angelus apud Lucam appellat. è qua sede per sacerdotes, atq; reges Rex regum Christus Ecclesiam suam gubernat, eamque inter tot casus, totq; discrimina rerum integram incolumemq; conseruat. Itaq; summus sacerdos cōmunicanda sede hac, cum regibus tria illis præscribit. Primò enim stare, ac retinere locum à Deo ei delegatum regem iubet, hoc est firmum & stabilem, & constantē in tuēdo regio munere, quod mādatum traditione Pontificiali habet, regem iubet esse. Deinde idē sacerdos hac eadē traditiōe regib9 demōstrat, Pontificialē gradū regali gradu altiorē esse in Ecclesia Dei. Siquidē ad altare

Sedes Dauid.

Tria sunt notanda Regi.

1.

2.

tare summi Dei Pōtifices, sacerdotesq; publici oēs cæteri, propius adsunt, quā ipsi reges, imperatoresq;. Postremò idem sacerdos docet, in Christiano regno regē aliud non esse, nisi Mediatorē cleri, & plebis. hoc est, eò regem in Ecclesia esse, quo plebs semper insolēs, & ad errorē procliuis, in officio, regalis gladij contineat metu, ne ab Ecclesia deficiat, & à veritate desciscat: sed vt subiecta sacerdoti summo auctoritatē regis sequatur, ad vitā sobriè, iustè, pieq; degēdā in hoc seculo, cōmunione iuris, & societate vtilitatis inter se coniūcta. Idcirco etiā collocato in regali solio rege, mox illa fausta Metropolitani huic regno subsecuta est precatio: *Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, iustitia, et iudicium præparatio sedis tuæ.* Ex qua sanè coronationis precatione solenni liquet, regē ita manū esse sacerdotis, vt sacerdos manus est Christi. firmat enī hoc loco, & quasi creat sacerdos regis manum,

3.

Fausta acclamatio.

Rex man9 sacerdotis est.

nũ,& vt exalteť manus hęc, iuſtitiaq́;
Sacerdos. & iudicio eluceat in ſede hac ipſa Da
uid,vota facit & optat ſupplex. vnde
apparet ita ꝑæqua ꝓportiōe ſacerdo
Cõparatur tẽ cũ rege cõparari,vt Chr̃s cũ ſacer-
ſacerdos dote cõparať. Vt eñ ſacerdos auulſus
cũ Rege. à Chr̃o,ius,nomẽq́; ſacerdotis amit-
tit:ita rex ſegregatus à ſacerdote, ni-
hil retinet de veri regis lege. Cùm eñ
vniuerſus Chr̃ianorum cœtus vnum
quoddã ſub capite Chr̃o ſit corpus,
in quo ineſt cor vnũ,& aĩa vna:videť
mihi in corpore hoc, Chr̃iani reges
ꝓ manibꝰ eſſe:ſacerdotes aũt in eo-
dẽ corpore oculorũ inſtar eſſe,vt eñ
niſi oculus videat, p̃monſtretq́;, quô
ſe manus recipiat,certa nõ ſit,quã in
partẽ vergat,aut quo modo ſurſum,
verſus,vtroq; palpitet: ſic reges, niſi
prælucente,ac præmonſtrante ſacer-
dote,quô,aut vndè,quomodóue in-
ſtituãt opus ſuũ regium,illudq́; per-
ficiant & abſoluant,nõ vident:ſed in
oĩbus decretis,actis,ſententijs,atque
con-

conſultis ſuis fluctuant: non gentes
illis habent fidẽ,non proceres,atque
optimates regni pacẽ ſub illis agitãt:
vt ita ſacerdote,quaſi parente perpe-
tuo orbatus rex,facilè incurrat in o-
dium,offenſionẽq́; populi, vnde po-
ſteà exiſtunt ſeditiones in regnis inſa
nabiles. vt ergo in Chriſti corpore,
ſub capite Chriſto, omnia ſint apta, Corpus
& inter ſe conuenientia membra,in Chriſti cõ
explẽdo ſuo munere,vtatur ſacerdos municatur
rege,ꝓ manu:& rex viciſſim ſacerdo cum Rege.
tẽ vt oculum ſequatur ſuum. & vt ad
hanc cõiunctionẽ,& ad naturalẽ cõ-
munitatẽ tuẽdã eſſe natos reges,atq;
ſacerdotes ſciamus,in ſacrificio publi
co ſummus ſacerdos de viuo ac vero
Ieſu Chr̃i corpore cũ rege coronato,
& in ſede regali iã collocato cõmuni
cat:quò hac cõmuniõe diuini ſacra-
menti ſacerdos ille regem doceat,cer
toq́; illi perſuadeat,regũ atq; ſacerdo
tũ,vnũ & eundem Chriſtũ caput eſ-
ſe,& vtroſq; ad p̃dicationẽ Euãgelij,

 atq;

atque ad propagationem Ecclesiæ diuinitùs institutos esse. id quod hac solenni precatione declaratur, quam adscribam. est enim diuina, & digna, quæ in auribus regum semper habitet.

EPI-

EPILOGVS CORONATIONIS, SIVE DE PRISCA FIDE RETINENDA.

PARS LIBRI TERTIA.

DEVS, qui ad prædicandū æterni regni Euāgelium Romanū imperium præparasti, prętende famulo tuo SIGISMVNDO AVGVSTO REGI nostro, arma cælestia, vt pax Ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum: Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Metropolitanus.

¶ Hæc est extrema manus, quę diuinitùs inchoato, atq; absoluto regi à summo sacerdote imponitur, cuius illa summa est, vt Ecclesia in tutela & pręsidio regum armatorū posita, nulla tempestate bellorum turbetur. Ac re vera imperium Romanum delectum à Deo est, ad prædicandum Euangelium cælestis regni, quo imperio omnes Christiani reges compre- Finis Regij muneris vltimus

henduntur. Nam quo tempore vniuersus terrarum orbis in potestate ac ditione Romana continebatur, dimissi tum erant fortunati piscatores illi, circum omnes cæli plagas, ad diuulgandum, prędicandumq; Euangelium, Domino cooperante, vt scribit Marcus, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Nec alio nomine diuulgati Euangelij tũ appellabatur fides, quàm fidei Romanæ nomine, de quo præclarè scriptum est illud ad Romanos à Paulo, PRImùm quidẽ, gratias ago Deo meo, per Iesum Christum, pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, &c. Tanta existimatio, auctoritasq; vnius vrbis Apostolicis tẽporibus fuit, vt ea fides, sine qua impossibile est placere Deo, Romanæ vrbis nomine vulgò esset insignis. idq; adeò, vt si quis ex Iacobo tum quæsijsset, quam fidem Hierosolymitanos doceret: Respondisset sine dubiò, Romanam

Fides Romana.

manam fidem se Hierosolymam docere: idem respõdisset in Achaia, Andreas: in Asia, Ioannes: in India, Thomas: in Perside, Iudas: in Æthiopia, Matthęus: in Phrygia, Philippus: Postremò in Gręcia Paulus idem interrogatus respondisset. Quod ego factum fuisse reor, auctoritate vrbis, & Petri. Nam vt vrbis Romæ inter gentes vniuersas, ita inter Christianos omnes, Petri nomen diuulgatissimum fuit. Quare, vt Apostoli communione fidei, ac religionis societate cũ Petro, Apostolorum principe, se cõiunctos esse docerent gentes, id quod etiã Paulus apud Galatas facit, & florentissimæ, potentissimæq; vrbis nomine, maiorem auctoritatẽ illorũ haberet prædicatio, fidem Romanã se tradere gentibus, prędicatores illi rogati respondebãt: vt ita pietatis Christianæ summã, quæ tũ primùm apud gentes ab illis præferebatur, ad principem Petrum referrent, q̃ in ea vrbe

auctor, & magister erat publicæ religionis: quæ vrbs omnibus gentibus imperabat, & quæ caput mundi erat. Neq; verò vrbs illa, princeps atq; domina gentium, atq; nationum omnium esse nunc desijt: immò si recta reputemus via, longè pulchrior, florentior, potentiorq; vrbs illa nunc Petri sede est, q̃ fuerat olim Romuli stirpe. Nam regum, consulumq; Romanorum temporibus, Roma omni idololatriæ turpitudine fœdata fuit, q̃ nũc sanguine agni abluta, noui luminis candore inter Ecclesias relucet, ac fulgore Christi illustris est. Ita antiquitùs vrbs Roma fornicata cum cũctis regibus terrę, apertè ipsi Diabolo pudicitiam substrauerat: quæ nunc eiecto è ciuitate Sathana, sanctitates omnes, & religiones cunctis regibus terræ vicissim propinat. Spiritum enim sanctum Roma per Patriarchas, Metropolitas, Episcopos, pastores, atq; doctores, à Petri sede profectos, cum vni-

Vrbis Romanæ præsens amplitudo.

uniuersis Christifidelibus communicat: absq; quo, impurum, impudicũq; est, quicquid intra hominem, & extra illum est. Iam, si maiestatem ipsius imperij spectes, nunquam humilitas illa regalis, cõsularísue, cum dignitate vrbis præsenti de amplitudine cõtendet. Nam cùm duæ sunt res, quæ amplitudinem ciuitatũ faciunt, nempe imperij ipsius fines atq; leges, quis negauerit vrbem Romam, Regũ, Cõsulum, Cæsarumq; seculorum humanorum vniuersitate potitã nunq̃ fuisse? nam & Scythia barbara, magis Romana exaudiuit, quàm experta fuerat arma: Et vltima nunquam Romanis seruierat Thule. Deniq; Romani veteres intra Oceani ostium tantùm imperium quærebant, nihil suspicati esse extra hæc, quę adire poterant, vniuersa. At Christo rege nouo nato, mox vniuersus censetur orbis, & in prouincias describitur, additumque à Luca, insigne illud verbum est,

Descriptio Augusti.

est, πᾶσα οἰκουμένη. quod verbum in omni habitabili terra ritè ponitur. Quòd si quis ad imperium Romanum, quod tùm ab Augusto censebatur referat, falsum erit. Nunq. enim Augustus Cæsar vniuersas regiones habitabiles tenuit: id cùm res ipsa, tum magna auctoritate homines literati, & Histori ci testificantur. Et quoniam non potest, teste Dño, solui scriptura, ista descriptio habitabilis orbis, ad futurã propagationem Euangelij, non ad præsentem, qui tùm sub Augusto fuerat Romani imperij statum, referẽda est: ad quam propagationem Euãgelij respectans Christus, ad suos hęc dicit: ET ERITIS mihi testes in Hierusalem, & omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ, &c. Huc itaque respiciẽs spiritus Dei, quo im pulsore Lucas hæc scribebat, descriptione illa Augusti, vniuersam terrã habitabilem comprehẽdit: quòd ex illo imperio, quod certis tùm finibus

bus erat circumscriptum, paulò pòst oceano longius Euangelium diuulgandum propagandumq; foret. Itaque patrum memoria multæ, nonnullæ nostra, insulæ in oceano sunt repertæ, quæ nouus orbis appellantur, veteribus etiam Geographis ignotus: in quem nuper vrbs Roma, au ctore Romano Petro, Colonias suas misit, ac nomini, imperioq; Romano adiunxit, vt iam huic ipsi Petro magis, quàm Augusto liceat gloriari, legibus Romanis vniuersum habitabilem orbem esse ita subiectum, vt quô fines, eôdem leges quoq; Romanæ pertineant. Nam Augusto Cæsare leges vrbis extra Italiam prolatæ, nusquam valebant. At nunc ijdem fines Romanarum legũ, qui imperij sunt, ita vrbs Roma ex sacrario Sathanę, facta est oraculũ commune terrarum orbis: Vnde instinctu diuino, afflatuq; funduntur oracula Deum ritè colẽdi: hinc enim pcepta edũtur iustè, ac sobriè

Nouus orbis.

Roma oraculum orbis.

sobriè viuendi: hinc præsidium vitæ benè, ac beatè degẽdæ aduersus hæreses promitur: & ne multis obtundam, quicquid ex illo Petri loco dicitur, lex vitę est, quam fert sacerdos is, qui non vni vrbi alicui, sed communi orbis terræ oraculo pręposịtus putatur: cuius responsa vetustate nulla euanescunt: quibus in responsis q.cquid fundatum est, id fixum ac stabile est. Contrà verò quod in Petri Romani responso non fundatur, id semper erroris vitio variatur. Quamobrem, meritò in hac precatione solenni Romanum imperium ad prædicationem Euangelij delectum esse dicitur, nõ illud antiquũ, & vetus, quod ostio oceani partem aliquam clauditur, sed hoc nouum & recens latissimum, amplissimumq́; : quod extra ipsum etiam oceanum propagatum astris terminatur: quòd non Romulum fratricidam, sed Christum, seruatorem fratrum suorum, habet auctorem:

Romanum imperium Euangelio destinatũ.

rem. Iure igiť illa Augusti descriptio Apostolica prædicatione prolata, amplificataq́;, Romanæ Ecclesiæ definitur nomine: quòd in vrbe Roma ea semper viuat, vigeatq́; fides, quæ nũquam variatur, nunquã à prima stirpe sua degenerat: ita ex illa celsa Romana sede Petrus, gentes, moribusq́; cultuq́; differentes, communione fidei inter se coniungit: nec vnquã patitur illum vnum tenorem (vt aiunt) credendi in Deum, in vrbe Roma intermitti. Quæ laus Romani Petri, æqualis temporũ Christi Dei est. Nã vt semel cœpit, ita semper à sede Romana tanquã à fonte, ad hæc vsq; tẽpora fides Petri perennis fluit. Quæ vtiq; laus haud scio an illi sit cũ cæteris Apostolis cõmunis. Quęre Hierosolymitanos, nũ fides semel apud ipsos p̃dicata à Iacobo, irrupta adhuc maneat? eodẽ modo q̃re Asiã, Phrygiã, Macedoniam: postremò, ne singula commemorem quære Græciã,

Fides Petri perennis in Vrbe sola.

num auctorum, magistrorumq; suorum ad hanc diem integram, atq; incorruptã retineant illæ gentes fidẽ? negabunt, cõtaminatasq; se esse hæreticorum perfidia conquærẽtur. At pete Italiam, interroga Romam, nũ alia vnquam vrbs illa tentata sit fide, prętẽr hanc, quam semel accepit à Petro? Negabit: & à Simone illo Galilæo, vsq; ad hũc Pium Quartũ Italũ, continua serie succedentiũ sibi inuicẽ Episcoporum Romanorum, demonstrabit, se eandem nunc Pio IIII. Põtifice tenere fidem: quam tenuit olim Simonis Petri Pontificatu.

Fidei Romanę constantia vnde?

Quòd si maiestas tua scire vult, vndẽ nam ista sit vnius vrbis tanta, tamque incredibilis in fide Christi constãtia, Audi Christum dominum, cõfirmantem Simoni Petro: SIMON, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

tuos. Causa igitur eius cõstantiæ est, Christi oratio pro Petri fide: vt ea (videlicet) fides, quam Simon Petrus semel docuit, semper maneat in vrbe Roma: & vno quasi tenore nunq̃ interrupta fluat, ad supremũ vsq; mundi diem. At cùm idem Simon Petrus iubetur suos confirmare fratres, planum est, à cæteris fratribus Petri extra vrbem Romam prædicatam fidẽ, tantopere labasse, vt inde acerbissimi hostes, in ipsummet confirmatorem Petrum, assiduè redundent, vt longè acerbiùs & olim & nunc à fratribus vexetur Petrus, q̃ à Claudio, Caligula, Nerone, Diocletiano, Decio, Iuliano: & ab alijs immanibus tyrannis, olim vexatus fuerat. omnes enim isti fugitiui, qui bellum Ecclesiæ Christi faciunt, Romani Petri fratres fuerũt, ex eodem Deo patre, & Ecclesia matre generati. Nam vt veteres prætermittã illos homines impios, Arrios, Macedonios, Eutychetas, atq; Nesto-

Hæretici assidui in Petrum hostes.

ras, iſti recentiores noſtri Lutherus, Philippus, Zuinglius, Caluinꝰ, Bulin gerus, Brentius, Lyſmaninus, Stācar, mitto alios: quid aliud ſunt, quam Petri, vel infideles fratres, vel filij degeneres? qui à Romano Petro baptizati, inſtructi, & ornati, non tantū à Petro patre accepta ſubſtātia diſceſſerunt, in regionem longinquam: ſed etiam opibus, & copijs paternis impium bellum intulerunt ſuo patri, vt eum de omni gradu honoris, ac dignitatis deturbent ac deijciant. Quære enim ab his paulisper vbinam fuerint baptizati? reſpondebunt in Papatu, hoc eſt in Petri Pontificatu: deinde Euāgeliū vnde nacti, & quo auctore illud Euāgeliū eſſe, ſint edocti? reſpōdebunt, à Papatu. Quis enim quęſo alter iſtos degeneres filios ex aqua, & ſpiritu Chriſtianos genuit, niſi Papatus? Quis librum hunc ſcriptum, Euangelium eſſe eos docuit, niſi Papatus? quis concilia, interpretes,

pretes, atque patres veteres illis exhibuit, niſi papatus? Et tamen papatus tantùm abeſt, vt perinde ac de hominum eſt vita meritus, laudetur, vt ab hæreticis etiam vituperetur: adeò, vt per ſummum dedecus, homines in papatu degentes, Papiſtæ ab iſtis vocentur. In quo tamen ipſo ſtuporem hominum attende, qui papatum magnopere ſe laudare non intelligunt tum, cùm in papatu homines, inuidioſo nomine, & infamiæ ſubiecto, contaminant. Vt enim Grammatiſta, atque Sophiſta apud Græcos in malis non eſſet, niſi Grammaticus, atque Sophus eſſet in bonis: is enim Grammatiſta Gręcis dicitur, qui Grammaticum profeſſus, barbarè loquitur: is verò Sophiſtes, qui non veritatis, ſed oſtētationis, aut quæſtus cauſa philoſophatur: ita, ſi Papiſta probri, & criminis eſt, Papatꝰ, à quo papiſta dicitur, laudi, ac decori dabitur: vt papiſta iu

Papiſtarū nomen.

re vocetur is, qui in Papatu omne tẽpus ætatis impurè, flagitiosè, impieq́ue viuit: contrà verò papatus, casta, atq; pura, religiosaq́; vita definiatur necesse est: vt ita posterius priori cõueniat. Ac per me quidem licet, cuiuis Papistas reprehendere, non secus quàm Grammatistas literatis reprehẽdere ius est: id quod à nobis libris etiam editis sæpe est factum. Sed quæ tandem inuidia fuerit, vt ob Grãmatistas, Grammaticum: & ob Sophistas, Sophũ: ita ob papistas, malè audire Papatum, ad salutem humani generis diuinitùs in Ecclesia comparatum? Quem si ex Ecclesia tollas, nihilo plus agas, quam si des operam, vt nullum in ciuitate consulem, nullum in regno regem relinquas, qui præsit, ac multitudini modereť: quò minùs plena inconsideratissimæ, ac demẽtissimę temeritatis, hæreticorũ incitata furore, ruat, ac ferať ꝑceps. Sed hic astus hæreticorũ est ꝓpriꝰ, vt

Papatus sanctissimũ nomẽ.

cùm

cùm reuera Ecclesiam oppugnent, verbo tamen id se agere sedulò dissimulent: tanta est apud omnes Ecclesiæ religio, vt apud hostes quoq; eius sanctum sit nomen. Quamobrem hęretici, ne omniũ sceleratissimi videantur esse, si Ecclesiæ matri suæ, à qua sunt orti, bellum apertè faciant, proprium nomen Ecclesiæ, alio proprio nomine cõmutant. Nam pro Ecclesia, contra Papatum se belligerare affirmant, cùm tam Ecclesia, quàm papatus eiusdem sint rationis nomina, & ad populum Dei æqualiter attineant. sed tamen nomẽ Ecclesiæ est illustrius, Papatus autem est obscurius. Nam hoc nomen nuper admodũ ex contentione Lutherana natum est: cùm alij se Papę, alij verò Lutheri, studiosi esse profiteretur: itaq; vt papatum, id aũt est partes Papæ, non autẽ Ecclesiã ipsam hæretici videantur petere, sub Papatus nomine, Ecclesiam ipsam adoriuntur astutè: idemq́ue fa

Ecclesia & Papatꝰ idẽ.

 ciunt,

çiunt,quod faceret is, qui regẽ è regno exterminans, regnum se conseruare velle diceret. Quid enim Ecclesia fiet? aut quæ ratio illius erit, Papatu ex Ecclesia euulso? cùm em̃ Ecclesia ciuitas sit quædam supra montem posita, quomodo ciuitatis nomen habebit, nullo proprio, ac perpetuo prædita magistratu. Igitur hæretici Papatum ex Ecclesia dum tollũt, Ecclesię magistratum tollunt: postremò ciuitatem Dei de monte illo excelso deijciunt: Ita isti dum se videri Ecclesiæ patronos student, hostes illius deprehenduntur esse, per quos id agit Sathan, vt Papatu de pręsidio Ecclesiæ deiecto, fluctibus seditionũ Ecclesiam Dei obruat: vnaq; cum illa iustitiam, pietatem, religionem, pudorem, pudicitiam, iura, leges, regna, imperia, cæterasq; oẽs sanctitates, q̃bus cõmunis cõtineẽ vita, extinguat, ac deleat: ipsum deniq; humanum genus vniuersũ, mãdet, ac tradat orco. Id

Cum Papatu Ecclesia perit.

Id ego quàm verè scribam, ex aliorũ exemplis liquet planissimè. Gẽs pulcherrima, florentissima, atq; potentissima quondã fuit Græcia: ex qua immissis hæresibus Sathan, Papam primò eiecit, posteà reges expulit, deinde libertatem Græcis eripuit: Postremò Machometi, quouis orco fœdiori hosti, Græciam addixit: vnde, quasi ex astris, cùm ea gens cum Sathana ima caderet sub tartara, istis gradibus conuulsa suis sedibus perijt. Non has easdem artes cõtra Romanum imperium, per Occidentis hæreticos Sathan nũc vsurpat, vt Occidentẽ quoque ad consimilem ruinam adducat? Docet Lutherus Papatum à Sathana Romæ esse fundatum, eius autem auditor Stancar libris editis, persuadet tibi, vt multam salutem, & Papatui & Romæ dicas. Sit ergo ꝑsuasum id regib⁹, inprimisq; tibi maximo, potentissimo Regi, Papam nullum esse, qui Simoni Petro in Pontificatu succedat:

Interitus Græciæ.

Occidens cõuellitur sectis.

 cedat:

cedat: Nullus etiam ſit Archiepiſcopus Papæ ſubiectus, neq; Epiſcopus Archiepiſcopo, neq; presbyter Epiſcopo: vt ita, quaſi inciſis in ſacerdotio gradibus, ruinę periculũ ſacerdotibus ſtruat Sathã. quæro, num in eo is acquieſcet? & eo erit contentus? & num nocendi iam faciet finem? mini mè oĩm. Nam mox ſublatis è ciuitate Dei ſacerdotibus, ad vos reges, q ꝓximo loco eſtis, trãſibit, ac vos incautos inter oſcitantes opprimet, euertetq;. Excitabit enim nobilem illum Grammaticum, Philippum Melãchthonẽ, ꝑ quẽ veſtras regales vnctiones reprehendet: ꝓducet Ioannem Pomeranũ, quo auctore probabit, fatali neceſſitate rerum futurarũ, vel ad ferendũ, vel ad patiendũ hoĩes cogi, vt nihil iam ſit veſtro regio cõſilio apud homines loci. Quid enim de eo deliberas, quod fieri vel nõ fieri omnino eſt neceſſe? Iam illa Iſlebica excetra M. Lutherus, impulſore Sathana

Melãchth.

Pomeran.

Lutherus.

na contendet, nullum etiã eſſe vſum regalis gladij. Nam neq; foris bellandum contra Turcas eſt, ne Deo reſiſtamus ipſi, qui nos per Turcas flagel lat. Neq; domi malefici, ſceleratique regali gladio feriantur. ſeruum enim arbitrium eſt, neceſſitate cuncti regimur: & tàm ad bene, quàm ad malè agendum externa vi, non etiam arbitrio noſtro impellimur. Si ergo iſtis auctoribus, Sacramento, vnguento, atq; gladio ſpoliabuntur reges, quõ erit rex? aut quis illius fuerit vſus? ſi regalis vnctio impia, iuriſdictio facinoroſa, poteſtas regum iniurioſa in Deũ eſt? Animaduertis Rex magnanime, vt cum ſacerdote, vnà Sathan regem per hæreticos euertat: &, vt cũ ſtante ſacerdote, ſtet Rex: & cum cadente, pariter cadat. Sed tamen, tertium gradum ad interitum vt habeat Sathan diſpoſitum, auſculta paucis. Sublato enim ex Eccleſia ſacerdote atq; rege, tã q̃ lupus oues abſq; paſto-

Cũ ſacerdote ſtat & cadit Rex: Libertas: Salus: Vita æterna.

ribus,miſeras inuadet plebs. Mox e-
nim per Anabaptiſtas, omnium rerũ
ſine vlla exceptione cõmunitatem in
plebem,auidã alieni, introducit:om
nes videlicet homines conditione,iu
re,dignitate eſſe pares: nihil eſſe q̃d
priuatim alicuius in ære ſit : non eſſe
ſeruum,non dominũ in regno quen
quam,vel illa ſcriptura teſte.In dieb9
illis,non erat rex in Iſraël, ſed vnuſ-
quiſq; quod bonũ erat in oculis ſuis
faciebat. Qua ſententia, quaſi flabel-
lo, agitatis populis, quid aliud agit
Sathan,quàm vt plebes cõmittat in-
ter ipſas,vt dum de libertate cum do
minis pugnant,libertatem amittant,
tetramq; ſeruitutem ſeruiant:an hoc
cuiuſmodi eſſet, ruſticano bello Ger
mania experta non eſt? quo in bello
miſera plebs,Sathanæ aſtutijs per hæ
reticos in dominos incitata,non mo
dò libertatem, ſed etiam vitam ami-
ſit.Verùm enimuerò quartus & vlti-
mus reſtat adhuc gradus exitij, quo
aſſi-

Anabap-tiſtæ.

Ruſticanũ bellum.

aſſiduè collimiat Sathan, ipſe nempe
mors,vermis,& ignis ęternus,in quẽ
vt nos nequã ille det præcipites,ante
omnia è ſacerdotio Chriſti nos exi-
mit,per Lutherum:docetq;,vt ſacer-
dotium,ita neq; ſacrificium amplius
vllum eſſe, extra illud ſacrificium cru
cis, quo ſemel ab omni exempti ſu-
mus culpa.poſteà idem ſerpit lõgius,
ac per Zuinglium, illam cæleſtem ali
moniam,neq; corpus,neque ſangui-
nem eſſe,ſed ſigna corporis, atq; ſan-
guinis pane, ac vino deffinit : vt ad
iſtum modum ſublato ex Eccleſia ſa-
crificio, materia quoq; eius ſacrificij
cum veſtigio tollatur, hoc eſt verum
corpus, & verus ſanguis Chriſti. Po
ſtremò turbatis,violatiſque ſacris,ac
prophanis rebus oĩbus, Sathan huc
tendit,vt petram illam,ſupra quã ędi
ficata eſt Eccleſia Chriſti, expugnet
& euertat.Nam per Caluinum infra
patrem ponit filiũ, ſacerdotiũ Chri-
ſto ab æterno attribuendo: Per Stan
carum

Lutherus.

Zuinglius.

Caluinus.

Stancar.

carum verò virginem matrem, Deiparam non esse definit, Mediatorem Christum humanitate tantùm esse asseuerando: quorum vterque minuit Christum. Nam si ab æterno filius sacerdos est Dei, par Deo nõ est: Si aũt Christus Mediator humanitate tantùm est, virgo mater θεοτόκος non est. Neq; verò linguæ hæreticorum istorum audiendæ sunt potiùs, q̃ sententiæ, quæ huc tẽdunt, vt probẽt Christum verum Deum non esse. Iámne sentis sapientissime Rex, quibus gradibus deducimur ab hæreticis in impiorum sedẽ, & sceleratorum regionem: vbi iusto Dei iudicio apud inferos impij, & scelerati hæretici perfidiæ suæ æternas dant, & dabunt pœnas. Nã amisso sacerdote, amittimus regem: amisso rege, amittimus libertatem: amissa libertate, amittimus vitam æternam.

Idemq; nobis accidit, quod ijs solet, qui ex supremo scalæ loco confractis & incisis gradibus, graui casu ad ima reuoluuntur, & afflicti pereunt, spe omni salutis sublata. Quamobrem cùm luce palam videas, in tuo regno eò spectare sectas, vt regiam maiestatem tuam segregatam à sacerdote minuant, ac solitariam omnibus regiæ potestatis ornamentis nudent: par est, vt ipsum te aliquando respicias: & insidias, quæ nomini tuo regio ab istis comparantur, cognoscas: & abs te, regnoq; tuo maturè depellas: ne si cunctere, idem tibi eueniat, quod alijs regibus euenit, qui dum in hæreticorũ sceleribus maximis conniuẽt, maxima imperia amiserunt. Habet enim hoc hæresis, vt à paruis vicijs ꝓfecta, sensim serpat, viresq; acquirat eundo: summis etiam regibus horribiles, quæ nisi à principio extinguuntur, edunt flammas: quibus deflagrare regna, atque imperia est necesse. An tu putas aliam rem vllam ante supremum mundi diem, regnis omni-

Sectarũ finis est euertere regna.

omnibus finem allaturũ esse, quàm hæreses? quas tantopere miseras atq; calamitosas fore Christus prædixit, vt nisi abbreuiarentur dies illi, nõ esset salua vlla caro. Refrigescet eñ charitas, id est catholica fides, teste Domino: & abundabit iniquitas, id autem est hæresis multorũ. Appropinquat, credas hoc velim mihi, illa Danielis regnorum desolatio. iam lapis ille absque manibus de monte præciditur, qui conterat atq; comminuat omnia regna terræ, sacerdotio Christi saluo. Tum etiam eiusdem Danielis Aries ille, ab oriente sæuũ iã cõtra occidentem vibrat cornu, quo in regnis orbis terræ præparatis, ab hæreticis ad interitum, reliquias vastet atq; exinaniat. Quod sanè cornu, cùm cæteris regibus omnibus, vehemẽter est pertimescendum, tum tibi in primis, q huic arieti præter alios reges primus occurris. Etenim hic aries ab oriente incursat in te per Valachiam, à Se-

Aries Danielis metuendus cornu Polono regi.

à Septentrione vrget per Scythiam, à meridie instat per Vngariam: solus occasus restat tibi Germaniã versus non vsquequaq; syncerus, sed veluti putrida gleba vermibus, vndiq; sectis infectus. Quæ sectæ, cùm ad illũ Danielis arietem, in quo Machometes designatur, pertineant, eiusdemque generis sint, cum Turcica secta, quis negauerit, te à tergo, à fronte, à lateribus Turcica secta teneri? Quod si tu in his tantis regni tui angustijs, Lysmaninum etiam Arrianum, ac Stancarum Nestorianum incendia hæretica, miscere passus fueris impunè: da veniam Rex optime, atq; ignosce vera tibi prædicenti: Regnum tuũ triũ dierũ est. Nam in his turbinibus atq; fluctibus hæreticorum fieri non potest: quin labatur sedes tua, laceretur corona, infringatur sceptrum, hebetetur gladius tuus hęreticorum furore & audacia. Est enim dira lues hæresis, quæ dummodo in nocendo posi-

Poloniæ Regnum trium dierum.

Hæresis dira lues.

positum teneat, nullas horret cruces, nullos metuit ignes, nullas formidat secures: sed in ipso cruciatu, atq; morte triumphat, & in aperto latrocinio, obsequium se præstare Deo simulat: quæ nisi Pontificiali iudicio, atque regali gladio aliter extingui, ac deleri non potest.

Auctores sectarũ regno pellẽdi.

Neq; verò ego nunc auctor tibi sum, vt sanguine ciuili cruentet regalis gladius: Ne fiat, vt id suadeam domino meo Regi. quã enim id ex sententia alijs regibus successerit, videmus. Sed tamẽ vt eos regno tuo pellas, qui aliunde ob maleficium pulsi, exules apud nos omnia diuina, atque humana iura violarũt: id ego auctor tibi sum. Quantum enim tandẽ hoc flagitium fuerit? Franciscum Stancarum, fugientem è Mantua, non potuisse sedẽ ac domicilium vitæ alibi ponere, quàm in Polonia? cur is euitauit Patauium, Mantuæ vicinum? cur è Venetijs enauigauit, aut cur illam

lam proteruolat vrbem florentissimã, potentissimamq;? quæ optimorum atq; eruditorum virorum non receptrix solùm, verumetiã altrix est. cur inquam is patria fugiens ad vrbẽ Venetam non flexit iter? cur ad nos potiùs, quàm ad alios in Sarmatiam penetrauit? quid causæ aliud esse q̃s dixerit, nisi quòd Stancar Venetorum leges timuit, nostras autem contempsit? An Veneti hunc fugitiuum, in illa seueritate Reipub. Canones reformatorios conscribentem ferrent? an illum in sua ciuitate mandare, iubere, decernere, quicquam sinerent? Ergo nos Poloni præter cęteros idonei visi sumus, quibus Stancar imponeret, & quorum mores, leges, instituta, vniuersamque Reipublicæ disciplinam labefactaret. Cuius insolentiam, incredibilemque audaciam secuti multi, ab vltima Gallia, atque Heluetia, in Poloniam venerunt doctores Arriani, atque Macedoniani

dogmatis, vt Blandrata, Lyſmaninus, atque Petrus Statorius, qui in Polonia, tanquã in theatro quodam delecto, atq; libero, hæreticorumq; libidini expoſito, ante Maieſtatis tuæ oculos de Neſtoriana, atq; Arriana hæreſi, cum Stancaro inter ſe decertant, vtra illarum eſſet potior, hoc eſt, ad euertendam Poloniam valentior: hos ergo omnes impietatis duces, & magiſtros, vt agris atque vrbibus noſtris extermines, non iã poſtulat, ſed abs te flagitat regni tui ſalus, regiumque tuum decus.

Quomodo pacãda Polonia.

Sed dixerit fortaſſe quiſpiam, ſi iſtos eijcimus, nũ iam ſilebunt turbæ? aut diſſenſiones conticeſcent? Nequaq̃ iſtuc iſtac ibit via, niſi medicamenta illa Chriſtiana, tanquam de Narthecio abs te promantur, quæ malis ijſce noſtris à Maieſtate tua adhibeatur: quorum vnum eſt Cocilium Tridentinum, alterum Concilium domeſticum. de vtroq; dicã, ſi illud prius fuero

ro pręfatus. In ciuitate Dei viuimus, & Hieroſolymam vrbem incolimus, magnanime Rex, cuius vrbis eadem amplitudo eſt, quæ & orbis terrarũ, vt ſupra eſt demonſtratum: ab hac vrbe, & ab iſta ciuitate, quæ hanc vrbẽ incolit, ne diſcederemus, Chriſtus cælos aſcenſurus vetuit, quòd nuſquam alibi ſpiritum promiſſum largiretur nobis, quàm in hac ciuitate: quam ille certa iuriſdictione præditã, ac magiſtratibus deſcriptam, nobis hinc ſabiens reliquit. Quapropter cùm in bene morata, beneq; conſtituta ciuitate viuimus, quos alios quæſo de cõtrouerſia, quam habemus cum hæreticis, ſumemus iudices, præter eos ſacerdotes, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam: & de quorum ore, legem requirere apud Malachiã Deus nos iubet? qui quidẽ ſacerdotes, quoniã Tridẽti, Pij Quarti, ſummi paſtoris vocatu, de quaq; re iudices nũc ſunt, in Eccleſia ſanctiſſimi, iuſtiſſimique,

Conſiliũ Tridẽtinũ

Malach.

 æquo

æquo iure disceptemus, apud illos quæstiones nostras: & dum illi sentẽtiam ferunt, & iudicium pronunciãt, patienter, quid de iure ambiguo sentiendum sit: expectemus. Quod si lõgius esse videtur, & tarditatis conciliorũ tædet, in promptu est domi alterum remedium, quo saluti ægrotæ Reipublicæ à Maiestate tua subueniri possit. Nam cùm vniuersa Christi Ecclesia in quatuor patriarchales sedes antiquitùs maiorum instituto sit descripta, in principẽ videlicet Romanam, in Constantinopolitanam, in Alexandrinam, & in Antiochenã sedem, ea ratio est regni tui, vt præter Alexandrinam, reliquæ tres in ditione tua integrę constent sedes. Est enĩ Romana, cui subiectum est Polonicũ genus: Est Constantinopolitana, cui Roxolani parent: Est Antiochena, quam Armeni venerantur. Iube igitur vt ex his tribus sedibus Metropolitę atq; Episcopi conueniant, vt controuer-

Conciliũ prouinciale Polonicum.

trouersias religionis de cõmuni sententia in tuo regno disceptent: Consensum illorum puta esse Euangeliũ. id autem quod ab eorum discrepauerit decreto, existima esse maleficium. Etenim in tam varijs, tamq; dissidentibus inter se harum gẽtium ritibus, quis est tam auersus à vero, qui illud ipsum, in quo hæ gentes moribus atque cultu differentes, conuenerint, verum, integrum, incorruptumq;, de lege Dei sensum esse negauerit? vt ita tu mediator in Polonia Cleri, & plebis, pro eo ac iussus es, tuas partes regias exerceas: neq; aliunde accersitis auxilijs, sed domesticis tuis copijs, tã perniciosos regni tui motus, rectè & ordine componas.

Neq; verò est, quòd quis coïtionem illam vulgarem, quam nationale Cõcilium vocãt, abs te postulet: in quo vulgò plebs etiã ipsa, de summa religionis sententiam ferat, & in qua hæreticus de Catholico pronunciet:

Conciliũ Nationale perniciosum.

eiusmodi enim conuenticula verius, quàm concilia, q̃ sint perniciosa, Germania nos docuit. quæ cōuenticulis eiusmodi exagitata, non imminuit, neq; extinxit, sed amplificauit, atque auxit Lutheri hæreses, idque iure ac meritò. Quid enim alieno in munere recti ipsa per se faceret plebs? cui scripturarũ fontes sunt clausi, cui scriptura parabola est, nõ procul distans â fabula: cui etiam tanq̃ in petra, sic in scriptura, veritas oĩs penitus est abstrusa: ita, vt nisi hæc ipsa scriptura, vt illa Mosis petra, sacerdotis interpretatione, quasi Mosis virga, feriat, aperiaturq́;, nihil inde ꝓfluat, quod plebs purum, liquidumq́; hauriat, ac facilius ignem ex aqua, aut aquã è petra plebs exprimat: quàm vllum Germanæ scripturæ sensum è scriptura, sponte sua exculpat, exprimatq́;. Nec iniuria: nam questiones legis disceptare, controuersias, q̃ de scripto sunt, dijudicare, de religionibus sententiã ferre,

ferre, tam est Episcoporum, quàm ipsorum regum est gladio ferire nocentes. Igitur Concilia agere, in Concilijs sententiã dicere, ac decretis Conciliorum subscribere, Episcoporũ ꝓprium ac perpetuum munus est: nec quorumuis, sed eorum tantùm, qui à Simone Galilæo, nõ autem à Simone Mago proficiscuntur. In hãc rem testes dabo Concilia œcumenica, in quibus penes solos Episcopos sentẽtiæ dictio, & subscriptio est, quorũ auctoritate standum omnibus est, q̃ piè in Christo volunt viuere. Quamobrem, mirum non est, si conuentus illi Germanici, hæreticorum cõtentionibus fuerũt dissipati. erant enim spiritu Dei cassi, qui ibi non est: vbi princeps abest Petrus, sine quo nõ est habendus deniq; nauci, etiam celeberrimus virorum, quamuis clarorũ, quãuis piorum cõuentus: q̃d enim ouis, nisi errare potest absque pastore?

In Concilijs auctoritas oĩs penes Episcopos est.

Sed tamen siue hac via, quã dico,

 siue

ſiue quauis alia, enitẽdum tibi eſt, vt pax publica in tuo regno conſtituat: vtq; talem rempub. ſucceſſori poſt te relinquas, qualem à maioribus tuis p manus traditã accepiſti. Qui cùm omnibus bellicis laudibus eſſent cumulatiſſimi, tamen in religionib9 tuendis, omnium regum ſuæ ætatis fuerunt prę ſtantiſſimi. quorum in omni virtutis, & pietatis laude præſtantiã, cùm in cælum verbis ferret vir clariſſimus atq; eloquentiſſimus Ioannes Oceſcius, Regni Poloniæ Cancellarius, in Senatu ſententia dicenda, nõ dubitauit apud te Iagellanam gentẽ, quaſi diuorũ domũ, Apoſtolis, Martyribus atq; confeſſoribus refertã eſſe dicere. atqui hæc vir ille omnibus rebus excellens magno applauſu dixerat aſſidente Senatu. Quid eñ per Deos immortales, VVladiſlaus Iagello proauus tuus, qui ex Lithuana gente in Polonia regnauit primus: quid, inquam, aliud fuit, quàm gentium

Iagellana gens religioſiſsima

Iagello Apoſtolus.

tium Apoſtolus quidam? qui mox, quàm regnum à Polonis vltrò delatum accepiſſet, introductis in Lithuaniam ſacerdotibus Romanis, gentem illam duram & agreſtem, & idololatria cæcam, baptizauit, in Eccleſiam dicauit, ac ſedi Apoſtolicę ſubiunxit. Iam quem martyrẽ deſideramus fortiorem VVladiſlao, magno tuo patruo, Iagellonis filio? qui vnum & vigeſimum annum natus, infinita hoſtium edita ſtrage, ad Varnam, Vngariæ & Polonię Rex, ab Amurate Turca in Vngaria eſt interfectus. Hũc imitatus Ludouicus, tuus Auguſte patruelis frater, eodem animo, atque caſu ad Mohatium Rex Vngariæ cęſus, pro Chriſti fide, & ab Solimano cum exercitu eſt interfectus. Quid ego nunc confeſſores ipſos commemorem? quorum tanta copia in tuo genere eſt, vt tua gente maximam partem cælum ipſum repletum eſſe videatur. Poterat Kazimiro auo tuo in regi-

VVladiſlaus martyr.

Ludouicus martyr.

regib9 sanctior esse quisq̃? cuius vesti gijs dũ ingredit̃ Kazimirus filius, patruus tuus, in diuos est relatus. Iam illi summi & prȩstantissimi regnatores Sarmatiæ, Boëmiæ, atque Vngariæ, VVladislaus, Ioannes Albertus, Alexander, patrui tui, nónne eisdẽ pietatis gradib9, quib9 auus, & proauus tuus, in cælum ascenderunt? Sed tamen rex ille regum, & exemplũ antiquorum morum, ac regiæ celsitatis decus, & ornamentum, Sigismundus pater tuus, cum sanctitate, pietate, religione, tum orationibus, ieiunijs, atque eleemosynis, quæ tria Christianam illustrant vitam: non tibi veteres illos Hilarionas, Anchoritasque cæteros, aut superasse, aut adequasse videtur? Neque verò ego verbis tantùm gentis tuȩ pietatem hoc in loco exaggero, sed etiã leges ab illis latas proferã, vnde liquet eiusmodi esse genus tuum, vt dubites amplificandorum ne regnorũ, an conseruandarũ reli-

Iagellani cõlessores. Sigismundus. Ancho. rita.

religionum causa fuerit diuinitùs in Sarmatia procreatum. Audi igitur Iagellonem proauum tuum, quantus ille fuerat Apostolus.

VVLADISLAVS IAGELLO CONTRA HAERETICOS.

VVladislaus Iagello Dei gratia Rex Poloniæ & c. Significamus tenore p̃sentium, quibus expedit, Vniuersis præsentibus, & futuris, harũ notitiam habituris. Quòd cùm, sub dissimulatione præterire non debemus, immo arcemur diuinæ legis perpetuis institutis, pestiferos hæreticorũ errores, quos in Dei cõtemptum, & in Christianæ fidei detrimentum & eneruationem, Politiæq; iacturã, ini qua peruersorum corda conflauerũt, etiam quæcũque oporteret nos subire pericula, à finibus nostris propulsare, & in gladio deijcere, vt qui censura Ecclesiæ non terrentur, huma-

Hæresis eneruat Politiam.

na seueritate mulctentur: maturo consilio Prælatorum, Principum, & Baronum nostrorũ habito, & cõsensu, & etiam de certa ipsorum, & nostra sciẽtia præsentibus decernimus, & pro firmo, constanti, atq; irrefragabili edicto teneri præcepimus. Vt q-cunque in Regno nostro Poloniæ, & terris nobis subiectis, hæreticus, aut hæresi infectus vel suspectus de eadẽ, fautor eorũ vel director repertus fuerit, per nostros Capitaneos, Consules ciuitatum, & alios officiales, ac quoslibet subditos nostros siue in officijs, siue extra viuentes, velut Regiæ Maiestatis offensor, capiatur: & iuxta exigentiam excessus sui puniatur. Et quicunq; venerint de Boëmia, & intrant regnum nostrum, ordinariorũ suorum examini, aut Magistrorũ hæreticæ prauitatis ad hoc à sede Apostolica deputatorum, vel deputãdorum subdentur comprehensi. Si quis autem incolarum Regni nostri cuiuscun-

Hęresis crimen Maiestatis læsę.

Boëmica hæresis.

iuscunque status, dignitatis, gradus, aut conditionis fuerit, hinc ad festum Ascensionis Domini proximum redire de Boëmia neglexerit, noluerit, vel contempserit, pro conuicto hæretico censeatur, & pœnis subiaceat, quæ hæreticis infligi consueuerunt. Nec amplius ad regnum nostrum reuertatur moraturus. Et nihilominus omnia bona ipsorum mobilia, & immobilia, in quibuscunque rebus consistentia, publicentur, thesauro nostro confiscanda: prolesque eorum tam masculina, quàm fœminea omni careat successione perpetuo, & honore. nec vnquam ad aliquas assumatur dignitates, vel honores, sed cũ patribus, & progenitoribus suis semper maneat infamis. Nec de cætero gaudeat aliquo Priuilegio Nobilitatis, vel decore. Inhibemus etiam sub eisdem pœnis omnibus mercatoribus, & alijs hominibus, cuiuscunq; cõditionis fuerint, vt à modò, & in

Hæreticorum proscriptio.

Hæretici confiscãtur.

Hæreticorum progenies infamis.

Interdictũ de iuuãdis Boëmis.

& in posterum, nullas res venales, pręsertim plumbum, arma, esculenta, & poculenta, ad Boëmiam ducere præsumant, vel portare. Quocirca vobis omnibus, & singulis Capitaneis, Burgrabijs, Procuratoribus, Magistris ciuium, Consulibus, & alijs Regni nostri officialibus, & subditis quibuslibet, ad quos præsentes peruenerint, Mandamus, quatenus pręsens edictū nostrum custodire fideliter, & firmiter debeatis: & vbilibet in ciuitatibꝰ, villis, & alijs quibuslibet locis publicis, & priuatis, & specialiter vbi tractabuntur Iudicia, & vbicunque contigerit aliquam multitudinē hominum cōfluere, palam, vocibꝰ præconum, faciatis proclamari, vt nullus valeat prætendere ignorantiam præmissorum. Harum, quibus Sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Dat in Vielun, die Dominica, Iudica me Deus, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo 24.

Nec

Nec Paulus Apostolus poterat melius. Hic eñ proauus tuus legis diuinæ institutis coactum se scribit: hæc edicta in hæreticos edere, à quibus Deum contemni: fidem Christianā vexari: ac politiam tolli verè, & sapiēter pronunciat. Quid enim hęresis aliud est, nisi Dei cōtēptrix? An hoc Deū contemnere non est? vicario Christi contra præceptum Dei nolle subijci? An contemnere Deum non est? contra Christi aperta verba, panem in altari, pro corpore: & vinū, pro sanguine Christi reponere? An contemnere Deum non est? legem Dei agnoscere, & eius leges sacerdotem cum sacrificio nullum pati velle? Profectò homines isti verbis Deum se nosse dicunt, factis autem negant. Iam verò, cùm præter vniuersales Ecclesiæ sententias, singulares, & vniuersalibus contradicentes sibiipsi nullo exemplo seditiosè sumunt, quid aliud agunt, quàm id quod proauus tuus

Hæresis definitio.

R Aposto-

Apostolico spiritu determinat? nẽpe hæreticos, & Christianã fidẽ enerua re, & plurima detrimẽta publicis reb9 importare. Ac mea q̃dẽ sentẽtia, si princeps ille, & magister definiendi Aristoteles, hæresim definiret, nõ aliter eam explicaret, quàm quomodo ab auo tuo explicata est: diceret enim, hæresim esse opinionem singularem Dei colendi, ex contẽptu Dei natam, in catholicæ fidei detrimentum, atque in regnorum iacturam. Quæ hominum, atq; regnorum pestis, ne in Poloniam vnquam irreperet, vides vt illi vndiq; à proauo tuo intercludantur ad Poloniam aditus? & vt etiam acerbissimę impiorũ pœnæ in fautores eius pestis, ab illo rege constituãtur: quæ ad ipsos etiam posteros, qui nec dum nati erant, attineant? vt videlicet eorum posteritas, & in parentum bonis successione careat: & cum parentibus suis semper maneat infamis, remota à dignitati-

bus, honoribus, & omnibus commodis regni.

At si scire Maiestas tua vult, quænám illa hæresis fuerit, cui tantis cũ edictis aduentanti in Poloniam Iagello Rex occurrat? Non alia fuit, pręter eam, quæ ex Boëmia ad Germaniam auctore Luthero profluxit. De inde ex Germania Stancaro duce in Poloniam, nescio quà per cuniculũ ascendit. Atqui eius sectæ caput, Simõ Magus, Simonis Petri grauis aduersarius in vrbe Roma fuit. Sic eĩ primus arbitrium hominis docuit seruum esse, & absoluta necessitate fieri oĩa. Quę hęresis fracta à Simone Petro, & vrbe pulsa, extĩctaq;, post 100 demũ annos in Martione reuixerat. Posteà cũ hoc hęretico extĩcta, à Mane Persa, vnde Manichęi, recreata: multis seculis interpositis, ꝑ Petrũ Adelhardũ in Angliã ad Ioannẽ VVikleffum, cũ sese infinitis erroribus collocupletasset, ꝓuenerat. vnde pulsa ꝑ

Boëmica hæresis à Simone Mago orta.

Petrum de Pagine, in Boëmiam fuit importata: quo in regno Ioanne Husio duce, quas strages ediderit, quę incendia fecerit, vt reges è regno illo exterminauerit, vt leges, atq; ordines regni euerterit, vt omnia diuina atque humana sanguine ciuili obruerit: q̃s est qui scribendo, dicendóue pro eo ac calamitas illius regni postulat, explicauerit? huic igitur tantę, tamq́; dirę pesti summus ille Rex, atq; gentiũ Apostolus Iagello, proauus tuus obuiam iuerat: paratus adire omnia pericula, modò ne contagio illa, ex tam propinquo interuallo pertineret ad Poloniam. Tum enim hæc à proauo tuo edebantur edicta, cũ Ioannes Husius miscebat incendia, & cùm à Ioanne Ziska, eius sectæ antesignano, Sigismundus Rex è Boëmia fuerat pulsus: cuius regis acerbissimo casu permotus Iagello, districtum habebat gladium illum, quem de altari à Bodzanta Archiepiscopo Gnez-nensi

Ioannes Husius.

Sigismundus à Ziska regno pulsus.

nensi pro altari cõtra hęreticos sumpserat: casus pro fide Christi paratus in omnes. Ita Rex hic memor erat, iusiurandi Archiepiscopo à se dati. Quid vnctio, quid gladius, quid corona, quid sceptrum, deniq; thronus ille Regius, quid valeret, quidúe à se flagitaret intelligebat. Non libet euagari longius, vt hęc eadem virtus ꝓpugnandi pro Ecclesia, clarissimi illiꝰ regis, in Kazimiro filio, auo tuo, eximia fuerit: qui cùm arderet Boëmia ex hæresibꝰ ciuili bello, edicta paterna in hæreticos parata semper habebat, quos tantopere oderat, vt Ioannem de Capistrano Senensem, familiæ Franciscanæ monachum, hæreticorum Boëmicorum grauem aduersarium, ex Boëmia, quasi ex acie deuictis hostibus, in Poloniam aduentantem, ad vrbem Cracouiensem obuiã progressus exceperit, eumq́; honorẽ illi viro sanctissimo habuerit, vt de illius manu, præter regni morem,

Iagello verus Rex.

Kazimiri pietas.

Ioãnes Capistranus.

Elizabetam, auiam tuam, vxorem acceperit desponsam. Multa extant publicè exempla illius catholici regis: quæ, quoniam ad Sigismundum patrem tuũ properat oratio, in medio relinquam: qui sanè Sigismũdus Rex quàm acer in hæreticos fuerit, nobilis ciuitas Gedanum documento est: cuius magistratum gladio illo ipso ex altari sumpto, more maiorum pater tuus percussit, ob religionem Romanam violatam. Sunt in manibus edicta, atq; consulta huius magni Regis, quibus maiorum suorum instituto, contra hæreticos catholicam tuetur fidem, & in quibus Episcoporum in hæreticos firmat iudicium. Sed tamẽ ne infinita persequamur, vna, & altera lege ab illo rege lata, erimus contenti.

Sigismundus Gedanen. gladio percussit.

LEX SIGISMVNDI.

Inprimis ad Spirituale iudicium pertinet, iudicare differentias religionis sanctæ Christianæ: Hæreses vide-

videlicet, Schismata, Blasphemias cõtra Deum, & Apostasias: ꝓ decimis, septem sacramentis Ecclesiæ, Beneficijs, sacrilegijs, & simonia.

EDICTVM EIVSDEM REGIS IN HAERETICOS.

SIGISmundus Dei gratia, Rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæq;, &c. dominus & hæres. Manifestum facimus omnibus, & singulis, cuiuscunque status, ac ordinis subditis nostris, necnon etiam aduenis, quibuscũq;. Quia cum humanis ingenijs, præsertim vulgi ad res nouas ac insolentes propẽsis, necesse sit cùm alia mala pleraq;, tum verò hæreses emergere: necesse item sit illas per eos, qui diuinis ac humanis institutis præpositi sunt, tanquam pestem, aut virus nocentissimum à subditis ipsorum arceri. Si quidem sola est religio, quæ legibus ac institutis

suis, homines in disciplina, in virtute ac in fide erga Deum & homines continet ac regit: quaq; in norma & obseruatione sua veteri turbata & dissoluta, turbari & dissolui necesse est vniuersa: quod posteà vt multis exẽplis cõstat, in seditionem vergere, ac in perniciem rerum publicarum, earumq; rectores redundare solet. Nos pro officio Christiani principis, eam ipsam religionem à sanctis patrib9 ordinatam, ac per sanctam Romanã Ecclesiam directam, nobisq; à maiorib9 nostris per manus traditam, ac ꝑ nos deniq;, & gentes nostras multo sanguine, & clarissimis (Gratia Dei) victorijs hactenus defensam: etiam à labe hæretica his temporib9, in vicinia emergente, integram ac immaculatã in regno, ac dominijs nostris conseruare volentes, publicis edictis mãdauimus, ne qui libri Lutheri cuiusdã, eiusq; sequacium quorumcũq;, quos sua insolentia in reprobum egit sensum:

Religio sola retinet in officio homines.

Nota officium boni regis.

Lutheranorũ libri proscribuntur.

sum: quiq; prætextu vitiorũ ordinis Ecclesiastici & scandalorum, quæ in hominibus fieri necesse est, tanq̃ sub melle virus suum in vulgus spargũt, & scriptis ac sermonib9 famosissimis, non solùm mores salubres, ac instituta Ecclesiastica, sed ipsos etiã sanctos patres turpissimè proscindunt, & sacra prophanis miscẽt, nequaq̃ ad regnum & dominia nostra inferrẽtur, & legerentur: néue quis dogma ipsum pestiferum approbare vel tueri auderet: sub pœna capitis, & priuationis bonorum omnium. Ad q̃ posteà edicta nostra exequenda, modũ etiam opportunum statuere volẽtes, delegauimus in prætorium ciuitatis nostræ Regiæ Cracouiensis nonnullos primarios nostros, tã spirituales, quàm etiam seculares consiliarios: q cum consulibus ac officialibus ciuitatis sic edicta ipsa nostra exequẽda statuerunt. Vt inprimis quandocunq; opportunũ videretur, Reuerẽdo dño

Pœna in hæreticos.

Episcopo Cracouiensi, fieret per inquisitores eius cū decurionib9, quos consulatus in tota ciuitate ad huius negotij, aliorumq; excessuum tollendorū custodiā delegit, ꝑ oēs domos testudines, ac cistas diligēs scrutatio: & vbi aliqui libri hæretici inuenirentur, illinc pœna edicti exigeret. Deinde, vt Impressores librorum, nihil ꝓrsus imprimere, & Bibliopolæ, vel alij quicunque exponere, ac vendere deinceps audeant, ex libris vndecunque adductis, nisi illos rector Vniuersitatis prior viderit: & tam imprimi q̃ vēdi permiserit, sub pœnis prædictis. Vt autē & reliquæ ciuitates nostræ hoc exemplo insistant, ac vt vnusquisque temporius præmoneretur, ne ipsa mandata nostra transgrediatur, & ignorantiam prætendere possit: Nos hanc ipsorum consiliariorum simul, ac consulatus Cracouiensis ordinationem, per has literas nostras omnibus testatam esse voluimus: mandantes

Inquisitio

In impressores librorum.

tes omnibus alijs ciuitatibus regni, & dominiorum nostrorum, vt ad eū modum edicta nostra exequendo, q̃ faciant cum loci ordinarijs, aut eorū delegatis ordinationes opportunas: easque diligentissimè exequant̄. Pro gratia nostra non aliter facturi. Datū Cracouiæ die sanctorū Petri & Pauli Apostolorum. Anno Domini 1524.

Ijs salutaribus præsidijs edictorū atque legum aduersus Boëmicas hæreses Poloniā sepserant maiores tui: hunc murū ahęneū regni sui illi volebant esse: qui ne vnq̃ vi, fraudéue, ab hęreticis perrumperetur, in regali custodia die, noctuque stabant perennes, atq; in eo euigilauerūt oēs curæ, & cogitationes illorum regum, vt ea catholica fides in Polonia maneret salua, quæ à Mieszkone Monarcha exorta, per sexingentos annos, vno tenore vt semel cœperat, cōtinuò fluens, in manus illorum peruenerat. Et

Polonia firmissima in Catholica fide.

Et haud ſcio an hic ſol aliam præter Poloniam viderit gētem firmiorem in catholica fide: vt ſolis maioribus tuis verè liceat gloriari, ſe in Christia na gēte regnaſſe, ac tibi pro patrimo nio ampliſsimo Poloniam, nullis cō-tactam vnquā hæreſibus, tanquā virginem incorruptam atq; integrā, per manus tradidiſſe: quāta autē auctoritate tu virtutum regum illorū, atq; regni hæres Poloniam ab illis traditam acceperis, Sacramentum, quo coronatus iam Rex tuam Reip. obligaſti fidem, docet.

EGO Sigiſmūdus Auguſtus Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniȩ, Ruſsiæ, Pruſsiȩ, Mazouiæ, &c. Dñs & hȩres. Iuro, ſpondeo & promitto, ad hæc ſancta Dei Euangelia: Quòd omnia Iura, libertates, priuilegia, literas, immunitates Regni mei Poloniæ, Eccleſiaſticas & ſeculares: Eccleſijs quoque regno Poloniȩ, eiuſdemq; prȩlatis, principib⁹, Baronibus, Nobilibus, ciuibus, incolis, & quibuſlibet perſonis cuiuſcunque ſtatus, ac conditionis exiſtentibus, per Diuos prædeceſſores meos, Principes, Reges, & quoſcunq; hære des ac Dominos regni Poloniȩ: Prȩſertim verò per diuos Kazimirū antiquum, Ludouicum, VVladiſlaū proauum, VVladiſlaum patruum, Kazimirum auum, Ioānem Albertum, & Alexandrum patruos, necnon Sigiſmundum patrem meum reges Poloniæ, iuſtas & legitimas donatas, manu tenebo, ſeruabo, cuſtodiam & attendam in omnibus conditionibus, atque punctis, & oīa illicitè ab eodē regno alienata, aut diſtracta, pro poſſe meo ad proprietatē eiuſdem regni mei aggregabo. Terminos etiam regni mei Poloniæ non minuam, ſed ꝓ poſſe meo defendam & dilatabo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.

Lapis in Polonia Angularis qui?

Hic eſt ille lapis angularis, qui facit

cit in Polonia vtraq; vnũ, & qui mediator cleri & plebis eſt: quo lapide duo regni ordines, ad pares angulos, in vnum apicem, atq; verticem regni Poloniæ feruntur: vnde, ſi vel momẽtum minimum de ſolido dempſeris, totam regni ſtructuram facilè deſtruxeris. Neq; enim hoc loco Iouem lapideum, barbarorum ad morem, ſed Euangelium Ieſu Dei Chriſtianorũ inſtituto tenens, iuraſti, te Eccleſiaſtico atq; ſeculari ordini in tuẽda libertate fidem æqualiter ſeruaturum: quod cùm iuratum abs te ita ſit, vt mens conceperit fieri oportere, id Euangelij decreto obſeruandum eſt. In quo illud præcipitur, ſit verbum veſtrum, eſt, eſt: non, non: aliter ſi fit, periurium eſt. quod non eſt aliud, q̃ mendacium iureiurando firmatum. Atq; id cuiuſmodi ſit, in ſeculari parte videam9 priùs, vt inde de Eccleſiaſtica parte facilior ſit exiſtimatio. ꝓmittis eñ iuratus, iura, libertates, priuile-

Ius ſecularis partis.

uilegia, literas, atq; immunitates ſeculares te ſeruaturũ: quid ius aliud eſt? quàm æquitas conſtituta ijs, qui eiuſdem ſunt ciuitatis, ad res ſuas obtinẽdas: quid libertas? quàm poteſtas viuendi, ac iure tuo vtendi vt velis: q̃d priuilegium? quàm priuata lex, literis publicis, & immunitatibus conſignata. Ergo ſi quis quærat, ſecularis pars quónam ſtatu in tuo regno ſit? dicam eo ſtatu illã eſſe, quo, quæ eſt optimo. eſt enim rerum ſuarum domina, viuit legum pręſcripto, vt vult, gaudet priuilegio, deniq; literis publicis, atq; immunitatib9 eſt illuſtris: ita, vt ſi aduerſus eius partis iura quid feceris, libertatem partis ſecularis læſeris, & Sacramentum violaris. In hac parte hæc ſunt: vide nunc quæ ſunt in altera, quæ ſpiritualis dicitur.

Ius ſpiritualis partis.

Quæ ſanè pars, hanc eandem iureiurando deuinctam auctoritatem tuam retineat neceſſe eſt, qua illius nitatur ſalus, ſic ſacramentum tuum iuſtum

iustum iudicandum est. Quid autem in Iure Ecclesiastico tàm descriptum & comprehensum est, quàm religio? quàm Iurisdictio? quàm antiquior in repub. nostra locus? Quæ verò libertas eius ordinis alia fuerit? quàm ne sacerdos, ab ipso Deo generi humano præpositus, vnquam hominibus subiectus sit? Iam priuilegia huius ordinis, quę maiora firmioraq; dici possunt? quàm quæ omnibus diuinis & humanis legibus, à primo generis humani exortu sunt lata atque sancita, quorum illa priuilegia summa & singularia sunt: Ne quis primam sedem iudicet, Ne sacerdos in ius ad regem ambulet, Ne causam apud regem dicat, ne militet, ne stipēdia mereat, ne tributum pēdat: Petri statere ab omnibus tributis, vt suprà est dictum, solutus ac liber. Stater enim à stando Græcis dictus: in principe Petro regum stare fecit tributa, id est finē Pōtificialibus attulit tributis: id quod etiam

Priuilegia Sacerdotū

Stater Petri in perpetuū liberauit à tributis clerum.

etiam antiquo seculo sanctè obseruatum semper fuit. Nam & Ioseph in Ægypto, fame dominante, terram sacerdotalem vectigalibus regijs liberauerat: & Moses, præcepto Dei Lęuitas non tantùm a bello, & à tributo immunes esse iusserat: verumetiā vndecim tribus Læuitis volebat esse vectigales ex parte decima: adeò vt illa decumana tribus, vndecim tribubus, nouem partes reliquas cùm fecisset, duabus partibus in agrorum fructibus, omnes cæteras tribus superabat. Vt ergo Eccesiastica pars pro eo, ac iurasti vndiq; perfecta, nihil abs te requirat, ius suum teneat oportet: sit libera, priuilegia habeat, sit apud te immunis, vt ad hūc modum, quasi libratis ponderibus, Polonia ordinibus, tanquā radicibus suis, nixa, sede in sua semper hæreat, immobilisq; maneat. At audaciam hæreticorum specta, qui Ius Ecclesiasticum in secularem partem traijciunt: Insticiū

Hęretici Ius spiritualium violant.

indici, iurisdictionem Pontificialem intermitti: deniq;, sub tuum ius atq; potestatem subiungi Ecclesiasticum ordinem abs te postulant: itemq; sacra, religiones, atq; ceremonias, non ab Ecclesiastica, sed à seculari parte administrari volunt: ministros Ecclesiarum, non à Pontificibus, sed ab infima plebe creari ius esse dicunt: sacerdotes legitimos regno pellunt, & in eorum locũ fugitiuos substituunt, Ecclesias diripiunt. Postremò omnibus, priuilegijs, literis, atq; immunitatibus contra tuum sacramentum Ecclesiasticam partem nudant. quod quid aliud est? quàm vt alieno iure p̃ grauata, onerataq; secularis pars, in hac inæquabili varietate iuris, depressa, oppressaq; intereat. Nam cùm tua regia maiestas, in Polonia non constet aliter, nisi illa duabus hisce regni æqualiter nitatur partibus, vtramcunque partem tibi quis subtraxerit, sedem celsitas tua regia non habebit:

Regia Maiestas nititur iuramẽto.

bit: sed vtracunque pars regni partem alteram vicerit, tamen tecum vna perituri sumus. Quid enim aliud est hoc iusiurandum, quod sanctissimum pulcherrimumque mox à coronatione regno tuo dedisti, nisi petra quædam solida, supra quam ædificata est Polonia? quam si hæretici, ita vt sperant, & optãt, perrumpunt, vide ne in nos quoque Polonos satis sit id, quod de Saulo rege à Samuele dicit. Quòd si p̃seueraueritis in malitia, & vos, & rex vester pariter peribitis. Quid autem aliud est malitia, quàm versuta, & fallax nocẽdi ratio, per quam insidiæ tẽduntur iuri alieno? quæ in republica iusto Dei iudicio & regni & regis interitu vindicatur. ac profectò, si recta nobiscum reputamus via, hæc malitia, quæ nuper in Polonia exorta, spolijs Ecclesiasticis secularem ornat partẽ: ad eũ interitũ tendit, quem nobis Samuel sacerdos minitatur, quæ vt nos iam ducat ad

Qua malitia perit Polonia.

ad occasum, videmus. Quæ enim est illa obsecro ratio. Metropolitanus in Polonia ne sit id, quod est, & quod semper fuit. Tum, Episcopus, sacerdos, clerus, ne habeatur apud nos vllus: sed Lysmaninus, ac Stancar cum Blandratis, Statoriis, Scebresinisque fugitiuis in parte seculari eius cleri fungantur munus. Iam illa dementia quanta tandem est? Mortuo Polono rege, ne renunciandi noui regis, Comitia Metropolitanus edicat: sed vnꝰ aliquis de plebe vltimus id ius habeat, vt non idem, qui regij honoris deferendi, comitiorum quoque deligendi regis habeat potestatem. id scilicet Deus vult? aut id iusiurandum abs te datum postulat? Quid ego nunc illam labem, & ignominiã regni conquerar? solenne Conciliorum œcumenicorum, ad Petricouienses conuentus transferri? & intermissis comitialibus consultationibus, Synodales quæstiones Petricouiæ

Poloni p̃posteri.

uiæ in conuentu agitari? Ex hac tam præpostera, tamque peruersa ratione comitiorum, quis expectauerit vllos fructus huic regno salutares, & non potius acerbos & pestilentes? Alia enim est ratio Conciliorũ, alia Comitiorũ. In Cõcilijs q̃stiones disceptantur diuinæ legis, in Comitijs ad summam regni cõsulitur: quæ auctore Aristotele in partes quinq; distribuitur. Aut enim de pace, & de bello Comitijs deliberatur: aut de rebus exportãdis, & importãdis: aut de vectigalibus regni augendis, minuendisue: aut de legibus ferendis, antiquandisque: aut de præsidijs regni firmandis, tollendisque. Hæc est materia conuentibus agendis subiecta, quam tractet, & de qua deliberet cum suis regnicolis Rex. At cùm à nobis hæc, quæ nostra sunt Comitijs repudiantur, fit vt neque illa quę Consiliorum sunt assequamur. Vetat enim Deus sator, ordinisque cu-

Comitia & concilia differunt.

 stos,

Contra ordinem nil recti fit

stos, aduersus ordinem rerum à se institutū rectè aliquid fieri. qui id mandat nobis, in qua vocatione quis vocatus est, in eadem permaneat. Ad militiam vocatus es, Pontificiam laudem ne appetas. pontifex es, regium decus ne requiras, sed in statione à Deo tibi assignata permaneas: neque inde iniussu imperatoris, id est Dei, decedas. Quæ ratio, atque hominum vocatio, quoniam turbatur passim, vides vt regna pereant, & vt nihil iam certi, neque explorati hominum vita retineat: vtque nulla regnorum sit fides, nulla etiam regum stabilis sit in regnis beneuolentia: nec propter aliam causam, nisi quia vel sublati, vel turbati sunt regnorū ordines, diuinitùs ad salutem hominum directi. Quapropter idem in regnis euenit, quod in nostris corporibus euenire solet. quandiu enim proportione æqua quatuor qualitatum nostra cōstant cor-

pora, tamdiu integra & sana sunt. At vbi qualitas aliqua in corpore extra modum prodit, mox æstu, febriq; nostrum iactatur corpus. Sic quamdiu ordines regni in statu sunt suo, integrum atq; saluum est regnum. At si aut ordo, ordine commutatur: aut altero opprimatur ordine, nihil est quod ibi præter motum, atq; interitum rerum communium expectes. Quod cùm viderent diuini illi reges, maiores tui, edictis atq; interdictis hęresim, id aūt est opinionis malitiam, quæ vult videri se esse Catholicam fidem, sed ab ea distat plurimū, ad Poloniā vetabant accedere, quæ eò spectat, atque eminet tota, vt ordine in ciuitate turbato, vitam hominū perturbet, euertatque.

Antiqui Polonorū reges, cur obstabant hęresibus.

S. Regis Augusti laus.

Horum summorum regum maiorū tuorum, vt memor esse velis, non mihi cohortandus, sed magis collaudandus esse videris, quòd vestigijs patris, aui, proaui ingressus, decori illo-

rum nulla in re vnquam defueris: nõ in re bellica, in qua quantus sis imperator, repressa tuis armis Scythia, ac Moscuouitica seruitute liberata Lyuonia testatur: pace verò, quis maiorum tuorum illas singulares, & præstantissimas virtutes, continentiam, grauitatem, fidem, iustitiam, atq; liberalitatem in te requirat? quæ liberalitas non tanta tamq; incredibilis in te Polono rege est, vt cùm cæteri reges vulgò, quòd nimiũ accipiant, accusentur: tu quòd nimium das, à nobis accusaris. ita reges alij pecuniarũ captarum rei, apud suos fiunt: tu pecuniarum distributarum in tuos crimen subis. At hæc Iagellana in te natura liberalissima, munificẽtissimaq;, cùm tantopere munificentia auaritiæ crimen obterat, ac sese omnibus beneficijs in omne genus bonitatis & beneficentiæ effundat, quæ virtutis eximiæ laus ab illa abesse potest? num iustitia in homines? num pietas in

in Deum? num erga temetipsum sanctitas? quæ cùm Dei pio contineatur cultu, si munificus es de alieno, quid non facies de tuo? Nam diuitiæ, honores, copiæ, caduca sunt fortunæ, & temporum munera: quorum munerum non tam facultas vnquam, & copiæ expetuntur, quàm in vtendo ratio, & in carendo patientia laudantur. At in summa potestate tenere rerum omnium modum, in opibus humilem esse, in delicijs castum, in seueritate comem: deniq; in rerum oĩm affluentia, sobrium, iustum atq; piũ, id quoniam tuum est totum, si rectè dispenses, maius decus maioremque laudem habebis, quàm de effuso ærario, elargitoq; fisco regio nũc habes. Et quoniam huius tuæ eximię atque regiæ laudis, sancta religio fidei Christianæ summa est, ad eã tuendã quantum cõniti animo potes, quantum labore cõtendere, tantum fac efficias: vt quasi lumẽ aliquod eluceat, in tuo

 regno

regno pietas, atq; sanctitas tua. quæ vnà cum regno à maioribus tuis per manus tradita est tibi. Qui si qs mortuis inest sensus, ad te supplices manus tendunt: tibi Poloniam, communem nostram patriam, ex illustri cælorum loco ostentant, te orant atque obsecrant, vt Sarmatiam more institutoque illorum pro tua fide, contra hæreses defendas: & ne illud flagitiũ regni tui admittas, vt Polonia te rege fornicata, cum dijs alienis esse videatur: quæ, vt suprà est demõstratum, à Miescone Monarcha, sexingẽtos amplius annos, castè, piè, religioseq; verum Deum colẽs, in tuas manus integra peruenit. Hîc ergo officium tuũ regium extet in exterminandis hæresibus oportet, quę per cuniculos dormitantib9 nobis obrepserunt ad nos, vt successori (vtinam verò ex te nato) talem Poloniã tradas, qualem à maioribus accepisti: imò sanctiorem etiam, si id dictu fas est.

Sed

Sed id tamen postulat nomen tuum, ab augendo ductum: quod tibi puero Calendis Augusti, Anno ab hinc XLI. impositum fuit parentum omine. Qua in re non tantùm tu posteritati seruies, verumetiam apud Deũ seuerum Iudicem tibi prospicies, apud quem in illo horrẽdo, districtoque iudicio dicetur illud tibi: Redde rationẽ villicationis tuæ Regiæ, cùm quidem abs te fuerit quæsitum, vbi pietas? vbi Polonorum prisca fides? Deinde, quid Stancar in Polonia egerit? cur fidem catholicam vitiauerit? cur Lysmanini, Blandratæ, Statorij, & cæterum Arrianũ vulgus grassatum, te rege in Polonia fuerit? cur Ecclesiæ direptę? cur prophanata tẽpla? cur altaria euersa? cur sacramenta contaminata? cur mysteria violata? cur Iura, leges, libertates, & immunitates Pontificiales sceleri data? cur distractus senatus? cur diuisus populus? cur te rege, non eadem

S. Augusti nomen.

Horrendũ iudiciũ dei manet reges.

in

in Polonia fuerit fides plebis atq; regis? Postremò illud quoque ab ipso Deo in eodem iudicio requiret abs te: Vbi est Auguste fides mea Polonis tradita, à Romano Petro ꝑ Adalbertum Boëmum propagata, & per Stanislaum Polonum cuncta in Lechia prędicata: deniq; per Roxolaniā atq; Scythiam ab Apostolis, Prophetis, Euangelistis, Pastoribus item, atque Doctoribus Polonicis tot seculis culta, doctaq;. Vbi ea est? cur euanuit? cur ab hostibus meis Arrianis atq; Nestorianis sub te rege extincta atq; deleta fuit? cur in Iure meo tuendo gladius cessauit tuus? cur in vagina, tempore belli impij, mansit conditus? cur altare meum pro eo ac iurasti, non defendit? cur nomē meum blasphemari passus fuit? cur aīas meorum sub tartara mitti permisit? Vbi est iusiurādum tuum? vbi vnctio? vbi gladius? vbi Corona, Sceptrum, thronusq; tuus regius? O acerbam mihi Au-

guste rex memoriam harum rerū omnium, tristesq; atque acerbas rationes tuas? nam hæc ad te scribens, in memoriam redeo illius Poloniæ, in qua Deū coluerunt, & in qua mortui sunt veteres Poloni, maiores nostri, qui in Polonia erant tanquā vir vnus, in quibus etiam vna erat fides mentium, & vna voluntas actionum: qui si nunc reuiuiscerēt, & hasce Chimæras Arrianas, Nestorianasq; viuere in Polonia viderent, quæ illorum fuit pietas, hæc opinor ad nos genus suum dicerent.

Polonorū consensus in fide.

Hæccíne est Polonia? aut hoc natale solum nostrū est, in quo tot insunt vestigia moris alieni? quocunq; enim oculi inciderint, veterem reipublicæ disciplinam requirunt. Quæ enim hæc est licentia? quod nouarum rerum studium à nostris institutis alienum? quorum non gloria bellica magis, quàm fide catholica nomē in hac quōdam terra floruit. Nos enim Illyrij

Polonorū veterū ad posteros oratio.

Polonorũ origo.

Illyrij quondam, cùm natale solum nos non caperet, ex Macedonia, atque Dalmatia, Cecho atque Lecho ducibus profecti, in has septentrionis oras, ad Vandalum flumen, per Pannonias penetrauimus Philippo atque Alexandro, Macedonum regibus, cùm domi militiæque strenuam priùs nauassemus operam. Sed angustia patrij soli coacti, patriam egressi, Cechum minorem natu fratrẽ in Boëmia, quæ erant Bauarorum ab origine sedes, collocauimus. Ipsi Lechum, maiorem natu fratrem, ducem

Vandalus.

secuti, in hæc Sarmatiæ vacua ad Vãdalum, id est ad Istulam flumen venimus, desertaq; loca, ac littus Vandali relictum incoluimus, multis ante Christum natum tempestatibus. Nã in hæc loca nos peruenimus, Alexandro magno iam Asiã tenẽte. Nec Dalmatæ, neque Macedones patrio

Vandali.

nomine, sed Vandali, à flumine ad quem primo aduentu consedimus: dein-

deinde Polachi, à Lecho, à quo in hæc Sarmatiæ ad Vandalum vacuum introducti sumus, dicti fuimus: inde Vandalia ab amne Vandalo: & Polachia, à Lacho: deinde Polonia leniter inflexa voce, hæc regio, non à Pole, id est à planicie appellata fuit. Intuleramus autem nobiscum ex Illyria in has oras, non solùm Macedonicum, illud gloriosum gẽtis robur, sed etiam Græcorum, in Illyrico cultos Deos: Lædam videlicet, & eius filios Ioue satos, vt tum credebamus stulti, Castorem, atque Pollucem fratres Helenæ, scientes pugnæ. Ad hęc, Cererem, quam Pogodam: atq; eius filiam Proserpinam, quam Poguisdã de nomine patrio appellabamus: tum Martem pugnandi: Mercurium verò, furandi deos ab eisdem Græcis, è quorum stirpe orti sumus, vt etiam ipse indicat sermo, corruptus licèt, accepimus. Hi fuerunt antiquitùs dij nostri, verbo quidem plu-

Polonię nomen vnde dictum

Dij Polonorum.

Sermo polonorũ Gręcus.

res,

res, re autem vera vnus. Et idē Deus erat noster, quem posteà ad verum Deum conuersi, & ab Ecclesia catho lica edocti, Diabolum fuisse comperimus: in cuius superbissimo dominatu positi, iugum acerbissimū pertu limus seruitutis: Athei, qui eramus il lo in tempore, sine Christo, alienati à conuersatione Israël: & hospites testamentorum, promissionis spem nō habentes, & sine Deo in hoc mūdo: quídnam esset peccatum, quid mors, quid vita æterna, ne suspicati quidē vnquam sumus: tamq; horribili cæcitate à Tyranno Diabolo excæcati fuimus, vt ne Christo quidem iā nato, illum solem iustitiæ aspiceremus exortum, qui iam dudum ætatē gentibus nobis vicinis illuxerat. Soli nos ad Vandalum flumen Vandali ac Po loni siti, cum reliquis, qui septētriones spectant, tetra errorum cooperti caligine, sub Domino Diabolo triste agitabamus æuum. Sed post tot demum

Poloni Athei.

mum secula, Anno Christi Dei nostri, 1 4 6 5. nostri quoque misertus Deus, Miescone Monarcha, tetigit corda nostra, errorumq; admonuit, ac fœditatem Sathanæ intolerabilē nobis apertè ostendit: peccatum quā vim haberet, docuit: viam ad salutē è seruitute fugientibus ostendit: idq; non ex operibus iustitiæ, quæ fecim9 nos: quid enim boni quis agat in cru deli diaboli dominatu? in ira Dei? & in rerum omnium desperatione posi tus, atq; in ipsius materni vteri custo dia in Diaboli familiam dicatus? misericordia ergo sua ipse Deus saluos nos fecit, offerendo nobis vltrò, ac ꝑ suadendo animis nostris fidem illam in Christum, sine qua nemo placet Deo. quæ illa est? Christum verum Deum, & verum hominem, pacificatorem hominis, cum Deo mortuum esse propter peccata nostra: & resurrexisse propter iustificationem nostram. cur autem, tot iam labentibus

Polonia quo tempore fidē recepit.

Gratis iustificamur

Fides in Christum quæ.

annis,

annis, nos Deo fuerimus visi idonei, quibus penè in regnorum genere vltimis, fides hæc ad extremum illucesceret, certum nescimus. id vnum scimus, iustitiam Dei in causa fuisse, cur tādiu careremus hac tam salutari fide: misericordia autem eiusdem Dei credimus vicissim esse factum, quòd ex filijs iræ, filij gratiæ: & ex mancipijs Diaboli, Miescone Monarcha liberti facti sumus Christi. Quam ad rem non vlla fatali vi coacti, sed libera voluntate, ac sponte nostra, liberum arbitrium secuti, persuaderi nobis ab intimo Dei sermone passi sumus libertatem, seruitute: vitam, morte: denique Deum, diabolo longè meliorem, antiquioremque esse: imò seruitus, mors, Sathan, mala vltima, malorum esse omnium: vt ex contraria parte libertas, vita, Deus, summa bona essent bonorum omnium, ita propter se expetenda, vt illa mala, propter se sunt reijcienda.

Liberum Arbitrium

Quòd

Quòd ergo fidem Deus eam, quæ in Christum est, nobis obtulerit, in animosq; nostros ingesserit, id non meriti nostri, vti iam diximus, sed gratiæ eius fuit. Nihil nos dedimus illi, vt hanc ab illo acciperemus fidē. quis eñ dedit illi, & retribuet ei? aut quorum tādem bonorum nostrorum indigens ille est? cæterùm cùm ad Dei vocantis voces nō obsurdesceremus, nec ea, quæ monebamur aure surda præteriremus, adiuuante eodem nos Deo credidimus: libertatem, vitam, spem atque salutem nostram Christum esse. Et quoniam hæc fides, quam aborigenes nostri Græci, non à cogendo, sed à persuadendo appellant πίστιν, sedem, ac domicilium vitæ in eorum animis non potest ponere: qui Adæ, primi parentis, culpa deprauati natiuo eius subiecti sunt peccato: iccirco admonitu piorum virorum quorundā, Miescone illo ipso Monarcha, cùm audiuissemus esse

Polonia baptizatur.

 ciui-

ciuitatem quandam Dei, cuius Antistes esset Roman9 Petrus, penes quē auctoritas esset summa, ex seruitute Diaboli, in libertatem Christi, homines vindicādi, ab hoc ipso, istius ciuitatis Antistite, Miescone Monarcha, opem aduersus Diaboli vim imploPolonorū Apostoli primi. rauimus. Itaque Ioannes XIII. Vicarius, Iesu Christi, Simonis autem Petri successor, exoratus à Monarcha, Senatu, ac populo, doctissimos viros Italos, videlicet, Villibalmum, Prochorium, Iordanum, Gotfridum, Lucidum, Angelotum, Octauianum, Iulinum, ad nos Vandalos, ac Lechitas doctum misit: qui & Miesconē Monarcham, & genus nostrum, illi subiectum, sacri baptismatis vndis ab originali culpa abluerent: & ex ciuitate Diaboli ablutos ac mundatos, in ciuitatem Dei transferrent: in Christiq; Ecclesiam dicarent. quod etiam est factum: Nam illi viri sanctissimi, Vādalia, siue tu malis Poloniam dici, ingres-

ingressi, prædicabant nobis Christū: & gratiam eius, qua nos in communionem suorum Deus conuocauerat celebrabant: homines turmatim ad flumina confluentes baptizabant, idola ex Vandalia exterminabāt: mo Ex Polonia Idola exterminātur. numenta Ledę, Castoris, atque Pollucis insignia, humo obruebant. Mercuriales statuas è triuijs, viatoribus iter demonstrantes, tollebant, & pro his Christi cruci affixi collocabant. Deinde, templa falsorum Deorum, vero Deo adscribebant: eaq; sanctorum cum Christo triumphantiū nominib9 insignia esse volebāt, vt Gnesnæ, quæ gentis nostræ caput erat, Metropolim virginis matris nomine habebāt insignem, vt alteram Metropolim Cracouiæ, quam Venceslai martyri dicabant: vt Vratislauiæ, In Polonia Ecclesię fundantur Ioanni Christi & Baptistæ, & præcursori summo: vt Posnaniæ, Petro, & Paulo principibus Apostolorum: vt in Płocko, Sigismundo regi, &

martyri: vt Vladislauiæ, mariæ Iesu Christi matri, templa consecrabant. longum est enumerare, vt ab illis Italis, à Romano Petro in Poloniã missis è terra nostra tàm priuatim, quàm publicè eiectus fuerit Sathan, idola sublata, ac falsorum Deorum cultus vrbibus, atq; agris nostris fuerat exterminatus. Atqui ne princeps ille mundi huius, inprimisque quondam noster Sathan, semel è terra nostra pulsus, reuerti in Poloniam, atque ad nos aspirare vnquam posset; illos ipsos Italos, à quibus baptizati sumus, in presidijs contra Sathanam circum Vandali fines collocaueramus: Villibalmum Metropolitanum, Gnesnæ, septentrionem versus: Prochorium, Cracouiæ, ad meridiem: Iordanum, Posnaniæ: Gotfridum, Vratislauiæ, occasum versus. Lucidum verò, Vladislauiæ. Angelotum, in Plocko, ad orientem Diabolo opposuimus: cui adiũximus Octauianum in

in Culmia: Iulinum, in Camienia: Iacinctum, in Lubucia. quos omnes Ægidius Cardinalis, Episcopus Thusculanus, Ioannis XIII. iussu cõsecrauerat: & illos, in hac vigilia, atque custodia gentis nostræ, in ciuitate Chri nouitiæ, ex auctoritate consecratos, collocauerat. Qui sanè summi & excellentissimi viri, ab vrbe Roma profecti, illam ipsam diuinitùs datã, & oblatam nobis fidem, absq; operibus bonis emori facilè posse, nos docebant. neq; fidem absq; bonis operibus, neque opera absq; fide quicq̃ valere apud nos prædicabant. neq; enim solitariam fidem, bonis operibus cassam, Deo placere: neq; opera sine fide, ad salutem aliquid momenti habere nobis suadebant: discrimen etiã operum nobis tradebãt. opera enim illa, quæ antecedunt fidem, quamuis ad speciem bona, sanctaque sint, si ostentatione, venditationeque fiunt, peccata esse: si verò simpliciter, & cãdidè

Episcopi consecrantur.

Fides absque operibus mortua.

Discrimen operum.

didè fiant,ſine fide tamen,mortua eſſe: qualia fuerunt in Cornelio illo Romano,cuius orationes,& ieiunia, atq; eleemoſynæ nulla connixa fide, aſcendebant tamen ad Deũ. Sed quia patrocinio carebant apud Deum fidei,nihil proderant oranti, ieiunãti, atque eleemoſynas danti Cornelio. Quapropter iuſſus erat Petrum ab Ioppe accerſere,à quo diſceret fidẽ illam,ſine qua placere Deo nemo poteſt. Itaq; docebant præſules illi nos, quamuis opera ante fidẽ inter ſe differrent,tamẽ in eo paria eſſent, quod ex illis iuſtificetur nemo ante Deũ. Cõtrà verò illa opera quæ ex fide, vt flãma ex igne,relucent,vehemẽter Deo placere,iuſtitiæq; noſtræ ante Deum partem maximam eſſe, illi ijdem doctores noſtri docebant: idq; iuſtiſſimis de cauſis.opera enim hæc,q̃ vt diximus, tanquam è fonte, erumpunt ex fide,inſtinctu Spiritus ſancti fiũt, habent promiſſiones adiunctas, habent

Ex operib. ſolis nemo iuſtus apud Deũ.

Quæ opera iuſtificant.

bent liberum arbitrium noſtrũ, operanti hæc in nobis Chriſto,aſſentiẽs: habent difficultatem promerendi,habent dignitatem Chriſti interueniẽtis pro nobis:habent obſequium noſtrum fideliter obtemperãs Chriſto: habent charitatem,quæ nobilitat illud in nobis Chriſti opus. Atqui hęc ipſa opera ſunt noſtra,& non noſtra. Noſtra,quia ſine nobis nõ fiunt: Nõ ſunt noſtra,quia ſine Deo non ſunt. Cùm igitur opus verè bonũ ex agente Deo, & ex libero noſtro arbitrio conſentiente, in idq; operam dante exiſtat,quomodo ſuum munus, atq; ſuum opus quod operatus eſt in nobis,non coronabit,non etiam amplexabitur Deus? aut quomodo eiuſmodi opus non valebit nobis ad ſalutẽ, quod ipſa manus Dei in nobis fouet & exoſculatur? vt ergo illa opera ante fidem,& ſine fide ſunt pannus mulieris menſtruatæ ante Deum, ita hæc, quæ naſcũtur è fide,ſunt puræ ſtolæ,

Deus ſuũ opus in nobis coronat.

 quas

quas sancti Dei homines in sanguine agni lauerunt. Hanc talem fidem per charitatem operantem, baptizatores illi nostri primi, formatam fidẽ, hoc est, charitate instructam, appellabãt: ad quam vt paratiores essemus, proponebant nobis traditiones sanctorum Apostolorũ, qui ab vrbe Hierosolyma, ad diuulgandum Euangelium à summo sacerdote Christo toto orbe terrarum dimissi, hanc talem fidem prædicabant: quorum instituta, mores, disciplinamque per manus traditam, diligẽter nobis explicabãt: tum etiam traditiones scriptas, ab eisdem traditas, nobis exhibebant, ac auribus nostris inculcabant. vt legem Mosis, quæ vim peccati, ac vindictam Dei hominibus ostentat: vt ꝓphetas, qui eius peccati solutionẽ demonstrant: vt Euangelium, quod redemptorẽ eius peccati iam aduenisse nũciat: vt Apostolorũ scripta, quibꝰ Euangelium declaratur. Atq; hęc oĩa non

Fides formata.

Doctrina apostolorum.

Traditiones.

non ex singulari, propriaq; sententia doctores illi explanabant nobis, sed ex sensu ipsius Ecclesiæ communi: quam Ecclesiã, quatuor mũdi plagis extẽto digito nobis demõstrabãt: in qua multitudo hominũ cuiusq; generis, esset maxima, in qua laterent pauci illi, quos Deus ipse sibi tantùm notos esse voluit. In qua sanè Ecclesia, vt olim, ita nunc essent quoque Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, pastores atq; doctores, in opus ministerij, ad cõsummationem sanctorũ, ab ipso summo sacerdote Ecclesiæ Iesu Christo dati. Insuper proferebãt sanctorum patrum primùm Cõcilia, in quibus ex auctoritate repressæ sunt hæreses, quas in Ecclesiam vndique immittebat Sathan, vt ex animis hominũ euelleret Christũ, atq; beneficia CHRISTI, tam ex auribus, quàm ex oculis hominum exterminaret, sempiternaq; obliuiõe obrueret: Deinde patrum decreta, & quasi com-

Intellectus scripturarum.

Ecclesia maxima.

Ministri ecclesiæ.

Cõcilia cõtra hęreses facta.

communia cõſulta, in quibus fuerũt illa præcipua Eccleſię lumina, Augu-
Doctores Eccleſiæ. ſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, mitto alios Latinos, ab iſtis profectos. Ex Gręcorum autem parte, tanq̃ ex Spiritu ſancti eadem ſchola, vnde & Latinos producebant Athanaſium, Cyrillum, Chryſoſtomũ, atq; Gregorium theologum. nã alios enumerare longum eſt: qui ſanè Gręci, & Latini vt ſanctiſſimi, ita doctiſſimi viri nõ ſingularem aliquam ſuam doctrinam, ſed illam cõmunem, atq; vniuerſalẽ, qua ſpiritus Domini per Apoſtolos, gentium patres, repleuit orbem terrarum: literarũ monumentis, poſteritatis memoriæ reliquerũt:
Doctorũ conſenſus Lex vitæ. vt doctorum illorum conſenſus, non ſit aliud, quàm lex certa Chriſtianæ vitæ, qua ſtandum, viuendumque eſt oĩbus his, ſalui qui volunt fieri. atque hęc doctorũ noſtrorum ratio doctrinæ fuit. Et quoniã fides fit per auditum, auditus per verbum, vt illi primi

mi doctores noſtri verbum nobis tradiderint, diximus: vt autem fidem in nobis excoluerint, dicendum eſt. vt enim fides conſtet, duobus ad eam rẽ opus eſſe, illi ipſi nobis ſuadebãt: verbo, quo in nobis inſeratur fides: ſacramento, quo hæc eadem in nobis alatur, foueaturq́;: Itaq; ſeptẽ ſacra- Sacramẽta Eccleſiæ.
menta, quibus ſanctificaretur homo interior noſter, diuinitùs inſtituta eſſe dicebant. vt ſacramentum Baptiſ- 1
mi, quo vetus homo noſter crucifigitur, & conſepelitur cum Chriſto, cũ omnibus actibus, & concupiſcentijs ſuis: vt Confirmatio, qua homo no- 2
uus, ex aqua & Spiritu recreatus, cõfirmatur in nobis ad pugnam: vt Pœ 3
nitentia, qua primùm horremus peccatum: deinde, apud legitimũ ſacerdotem, tanquam apud iudicem, cõfitemur peccatum. Poſtremò, ſatisfactione caſtigamus ipſum peccatum. Peccati enim hæc lex, & conditio eſt, vt caſtigetur ac vindicetur, aut ab ipſo

ſo peccante, aut à Deo vindicante.
4 Iam, homini peccatis defeſſo, quid tã
neceſſarium eſt, quàm vt is reficiatur
5 carne illa, quæ dat vitam mundo? Tũ
matrimonium, principiũ generis hu-
mani, & quaſi ſeminarium cæleſtis
regni, fide, prole, ſacramento nobis,
6 ab illis viris commẽdabatur. Et quo-
niam abſque peccato in hoc caduco
non viuitur corpore, cùm hinc mi-
graremus, ſacro vngebamur oleo,
quò peccatis leuati, paratiores eſſe-
7 mus ad emigrandum. Et quia hæc,
quæ adhuc diximus, diſpenſatore e-
gent iuſto, ideo illi ipſi viri Itali, ſacer
dotium ad ſacramenta aggregabant,
quod ordinis nomine appellabant:
Ordo quid? nam ordo eſt continuatio, ſeriesq́; mi
niſterij Eccleſiaſtici, in quo alius ex
alio, & omnes inter ſe apti, & colli-
gati ſunt miniſtri ad ædificationem
corporis Chriſti, quæ eſt Eccleſia
Dei viui, columna, & firmamentum
veritatis. Nec hic ordo aliter conſtat,
niſi

niſi à Chriſto ſummo ſacerdote, per
Romanum Petrum deriuetur ad vlti
mum clerum. In hoc ſacramento do- Ordinis accidentia.
cebant illi nos hæc tria reciproca eſ-
ſe, videlicet, legem, ſacerdotem, & ſa-
crificium: vt lex non ſit ſine ſacerdo-
te: neq; ſacerdos ſine ſacrificio. Nam
& naturalis illa lex, ſacerdotes habe-
bat: Abelum, Noah, Abrahamum,
Iſaac, atque Iacob. & lex Moſis ſuum
habebat cum Leuitis Aronta: & lex
noua, Chriſtum habet ſacerdotem
ſummum: qui ipſum ſe quotidie in
Miſſa, quod Hebræis nomen mortis Miſſa.
eſt, offert pro Eccleſia ſua, per Roma
num Petrum, & per ei9 Petri ſocios,
ſub panis atque vini ſpecie. Hæc er-
go ſunt ſacramẽta, per q̃ gratis à Deo
dantur nobis bona omnia. Com-
prehendi autem ſeptenario numero Septenarius numerus.
hæc, iccirco edocti eramus, quòd eo
numero, vt peculiari ſuo gauderet
ſpiritus Dei. Nam, & ſeptem Sigillis
lex obſignata fuerat Moſis: & ſeptem
tubis

tubis in Apocalypsi angeli cantant: & septem panibus satiantur turbę: & septem lucernis inflãmatis apud Zachariam tabernaculũ illustratur. Deniq;, Naaman Syrus, septies in Iordane lotus, ex vndis purum liquidumque se recepit. Per hæc igitur septem sacramẽta, illa gratis data fides, in nobis viuebat, vigebatque. Ad quam augendam, vegetandamq;, cùm ea quæ diximus, tradebant nobis doctores illi, tum etiam rebus externis infirmitatem nostram adiuuabant. Primò enim annum in mysteriorum tempora describebant. Nam mensem Decẽbrem, cõmemorabilem habebant natali die Christi, Dei nostri: sic Ianuarium, Circumcisione: Februariũ, Purificatione: Sacrum ver passione, Resurrectioneq;: Maium, Ascẽsione: Iunium Paracleto: Triade itẽ, ac Christi corpore celebratissimos volebant esse menses. quos inde subsequebãt Iulius, visitata Elizabetha: quem ponè

Mysteriorũ tẽpora.

nè sequebãt Augustus, ꝑclarus assumpta Dei matre in cælũ Mẽsis: tũ Septẽber Natalem diem referebat nobis eiusdem virginis, vnius in Christo, multorum Deorum matris. Postremò, Calendæ Nouembres, diuorũ cælestium ferijs, sub capite Christo, celeberrimę fiebant virorum, & mulierum conuentu. Hi erant anniuersarij apud nos festi dies, quo in memoriam nos redibamus, beneficiorũ erga nos Christi. Insuper ipsius anni circulum, ijdem illi, diebus festis sanctorum Dei hominum, cum Christo iam triumphantium, quasi notis, atq; punctis quibusdam distinguebãt: nõ vt homines coleremus pro dijs, sed vt statis diebus memoriam illorum repeteremus, quorum similes nos esse vellemus. Sed quid opus est verbis? septimanam ipsam quotidianam, atque assiduam, ad pietatis studium exaggerandum, alternis diebus structam, dabant nobis in manus: nam

Sanctorũ ferię.

Septimanę Mysteriũ.

feriam secũdam ieiunabamus, quòd eo die Christus Hierosolymam, vili vectus asello, aduenerat, pro nobis moriturus: hunc diẽ quarta feria insecuta, nos docebat ieiuna, hac die à Iuda proditore, Christum pro nobis Iudæis esse venditum. Ipsa verò sexta feria, cinerem, tanquam panem man ducabamus, & poculum nostrum cũ fletu miscebamus, recordati nobiscũ, illo die cruci affixum, ac felle potatum fuisse Christum. Sed hic tamen ad vesperam demorabatur fletus: nã ad matutinum, hoc est, ad dominicum diem, subsequebatur lætitia ingens, ex resurrectione Christi concepta: qua die ieiunare fas non erat, neque opus rusticum facere: sed totus is dies dicabatur pietati, ac liberiori vitæ, ob quam etiã eius diei summã & incredibilẽ celebritatẽ, patria voce hic dies appellabatur, Nedela: quin in ea opus, rusticũ mechanicúmue, fieri ius non erat. Iam illa religio-

Dominica dies festa Polonis.

Niedziela.

gionis Christianæ insignia, in templis, locisque publicis, apud nos passim visebantur, stabat fixus templo in medio Christus passus, vt eo visendo referremus oculos, & animum, ad illum verum Christum, natum, circũcisum, oblatũ, mortuũ, ac rediuiuũ, domitorẽ Sathanæ: quem doctores illi nostri, non tantùm dictis, atque scriptis, sed etiam templorum imaginibus, atq; figuris exprimebãt. Quas rerum species, atq; figuras viri illi pro codicibus nobis volebant esse, vt quod literatis codex siue liber, id idiotis imago rerum esset: vt ita in ratione pietatis literatus, ante idiotam nullas haberet partes priores. Sed tamẽ, non solùm hisce externis rebus pietas nostra qualis esset, declarabatur: verũ etiã hæc eadẽ erũpebat, & effundebat sese in ministros Dei. nã quãti apud nos esset dominus, id in eius seruis apparebat: quos cẽsibus, atq; præmijs volebamus esse in hac terra nobiscũ

Imagines & earum vsus.

Ecclesiarũ dotes.

opulentiſſimos, beatiſſimosq́;. Quapropter, fundos, villas, vicus, atque vrbes, ſacerdotibus, ſeruis Chriſti, attribuimus, non vt eleemoſynas, quas auferre poſteà liceret à populo, ſed vt fundos, quib⁹ viuerent, & ad vſus vitæ degendæ neceſſarios, Eccleſiarum miniſtri ſuo arbitratu vterentur. Aſpicite Gneznam, Metropolim veſtram, contuemini Cracouiam, itemq́ue VVladiſlauiam, atque Płockam, & cæteras Epiſcopales ſedes in Polonia, conſpicite: quæ gens, quæ natio Epiſcopalibus ſedibus florentior? aut opulentior intra Oceanum eſt? atqui, ad tam maximas pecunias, non per fraudes, neque per fallacias ſacerdotes in Polonia venerunt, ſed ſumma voluntate noſtra, de commu ni patrimonio, pro ſacerdotum rata parte, hæ pecuniæ ad ſacerdotes peruenerũt. Docebamur enim, & Chriſtum dominum ſuos habuiſſe loculos, nec quęſtorẽ illi domeſticũ defuiſſe:

Epiſcopatus in Polonia ditiſſimi.

iſſe: quibus loculis parrimonium Eccleſiaſticum deſignari, eramus edocti. Itaque cùm proportione æqua, huius iſtius terræ partem ſibi vendicaret rex, partẽ ſacerdos, partẽ plebs, vt de communi diuidendo partem ſuam quiſque ratam, certamq́; haberet: tutiſſimam vitam omnes vixim⁹, atq́; in optima Repub. cum vitæ curſum tenuimus, vt domi beatè. i. cũ virtute, cũ mutua charitate, viueremus: & foris, glorioſi eſſemus: in omnes partes ſemper victores: nulli vnquã getì, niſi laceſſiti bellum fecimus: atque illum gladium regium, quem vnà cum corona, ſceptroq́; à Benedicto VII. Pontifice Max. acceperam⁹, non ad inferẽdum, ſed ad propulſandum bellum, nobis datum fuiſſe, ab illis doctoribus noſtris docebamur. Quapropter, Boleſlaus Chabri, primus Rex noſter, à Roxolanis laceſſitus bello, regnum ſuum ad Boriſthenem promouit. Idem poſteà multis

Polonorũ cõcordia.

Poloniçe bella.

Poloniæ fines.

detrimẽtis à Germanis affectus, Albi flumine Poloniã terminauit: Deĩde Prussiæ, atq; Liuoniæ latrocinijs coactus, Athlantico mari regnum suum definiuit. Neque verò Vngaria pacata illi prius fuit, quàm Carpathi montis, illas insanas moles, irruẽtibus Vngaris, obiecisset. Nec aliter alijs quoque regibus in hac terra viximus: regnumq; hoc nostrum Poloniæ, post Christiana regna, Septentrionem versus, vltimum ideò collocatum esse duximus, vt pro fide Christi, & pro Petri sede, contra Scythiam, Moscouiam, Valachiam, atque Turciam ꝓpugnaret genus nostrum. Nec vlla circumcirca Poloniæ extat ora, neq; regio, quę aduersus Schysmaticas, atq; Scythicas gentes, nostro non sit respersa sanguine. Ibamus in aperta pericula pro Christi fide, & pro Petri sede, vnde interdum sciebamus, nos nõ esse redituros. Ad Varnam Vngariæ, dum cum Amurathe Turca confli-

Polonia sola propugnat pro Petri sede assiduè.

Polonor. clades ad Varnam.

gimus,

gimus, regem VVadislaũ amisimus: è quo bello, ex Polonorum X L. millibus, tres tantummodò nostrûm superstites in Poloniam nuncij fuerũt, tantæ cladis. Iam, sanguis Polonicus, rex Ludouicus, num, non ad Mohatium occasu suo, Turcico in ꝓlio, legiones nostras obtriuit? quas ab Sigismũdo patruo, rege nostro acceperat. Quid Bucouina strages, & in Socalio accepta calamitas, parúmne testantur, quam præstantes fuerimus pietate & armis? quam pietatẽ tantopere nos coluimus, vt in sacrificio, dum Euangelium legeretur, districtos gladios tenuerimus: nec priùs in Vaginam illos dimiseramus, quàm Euangelium à sacerdote desitum esset legi. Qua sanè ceremonia solenni demonstrabamus, nos pro fide Christi emori esse paratos: quod cùm aliàs sæpe, tũ vel maximo illo die testatum nos fecimus, quo parua manu, & exiguis copijs, hoc

Ludouic. ad Mohatiũ perit.

Bucouina strages.

Rit' Polo. in audiendo Euangelio.

Ioan. Tarnouski. ipso Ioanne Tarnouio, Cracouiensi Castellano, summo imperatore, q ve stras hæreses detestatus, ex vestra, nō iam vita, sed morte, huc ad nos concessit: Valachiam, magnis copijs Roxolaniæ minitantem ad Obertinum, repressimus, fregimus, ac sub nostrū iugum misimus. Deinde, hoc eodem duce, Moscouiam, Starodubo expugnato, multis incommodis, detrimētisq; affectam, pacem petere à Polono rege impulimus. Quod vt Valachi, ex Roxolania, sic Mosci ex Lithuania, Romanum nomen, Petriq; sedem expugnare, delereq; conabātur. Neq; verò in alienigenas hostes Dei, acerbiores nos fuimus, quàm in domesticos, atque nostros, si quis cōtra eam fidem fecisset, quam Miescone Monarcha, ab vrbe Roma acceperamus. Polonia hæresibus infesta. Quamobrem cùm Husiana hæresi arderet vicina, & consanguinea nobis Boëmia, & cùm stirps Miesconis Monarchæ, in Cazimiro magno defe-

defecisset, VVladislaum Iagellonem, clarissimum bello ducem, ex Lithuania acciueramus: cui non priùs Poloniam tradideramus, quàm is iuratus rex polliceretur nobis, se armatū obuiam hæresibus Boëmicis nobiscum vnà iturum. Iagello Rex ex Lithuania accersitur. Ac fuerunt quidem & aliæ graues causæ, VVladislai in Poloniam accersendi. nam & Prussia renouabat pristina bella: & Germania, viribus Romani imperij, hanc eandem ereptum nobis veniebat. Sed tamen hæc leuiora præ hęresi videbantur esse nobis incommoda. Nam arma, armis facilè refelluntr: hæreses verò vbi semel influxerint, & radices egerint, sine conuersione rerum cōmunium, vix, aut ne vix quidem extirpantur. Hęreses difficilè extirpantur. Causa igitur Iagellonis accersendi, Boëmica hæresis fuit, aduersus quam præstantissimus rex ille, vt munitam Poloniam habuerit, nō armis solùm, verumetiam legibus, sunt in manib9 leges in hæreticos ab illo rege ꝓmul

 gatæ.

gatæ. Extant etiam edicta, vnde id liquet. Cuius excellentem pietatem, studiumque religionis tuendæ, qua fide, & quanta conspiratione coniurationeq; fuerimus obsecuti, confoederatio nostra docet, quę in statutis regni, ita ad verbũ extat præscripta.

Confœderatio.

CONFOEDERATIO PRINCIPVM TAM SPIRITVALIVM, QVAM SEcularium, Baronum, Procerum, Militum, & Nobilium, &c. Regni Poloniæ, contra regnicolas inobedientes iuri, & contumaces, & hæreticos eorumque fautores.

NOs principes, Spirituales, & Seculares, Barones, & Comites, Proceres, Milites, Nobiles, ciuitates totaq; communitas regni Poloniæ: singulariter singuli & vniuersaliter vniuersi eodem animo, eadem volun-

tate, sciẽtia, consensu, & ratihabitione, omnes vnanimiter, significamus, tenore præsentium: quibus expedit vniuersis, præsentibus & futuris, notitiam præsentium habituris. Quomodo consideratis nonnullis disordinationibus, quæ in ipso regno Poloniæ suboriri inceperant: visis literis prædecessorum nostrorum: Posnaniæ, Petricouiæ, & in Gedlna factis, circa easdem literas & earum articulos (sub quacunq; forma verborum extant confecti) remanere volumus, vsquequaque, & spondemus, & præcipuè circa hunc articulum. Quod quicunque existens indigena regni Poloniæ, habens in ipso regno Poloniæ bona, vellet aliquas inobedientias, contra Ius terrestre, commune, aut etiam guerras nobis & eidem regno Poloniæ damnosas alicui mouere sine licẽtia domini nostri Regis gratissimi, & consilij sui, & in Iure terrestri com-muni

muni nolet contentari: aut etiam hę reticales errores facere, vel promoue re vellet: contra talem ſeu tales, cuiuſcunque ſtatus, gradus, cõditionis, & præeminentiæ fuerint: ſiue ſpirituales ſiue ſeculares, & in eorum deſtructionem conſurgere volumus & promittimus, ſub fide & honore noſtris, abſque dolo & fraude, nec ipſis auxilio, cõſilio vel fauore patrocinari volumus, ſub fide & honore noſtris: etiam ſi ſanguine, affinitate, & quacunque propinquitate forent nobis, aut alicui noſtrûm cõiuncti, nec pro eis loqui volumus aliquod verbum: ſed eos, & eorum talem quemlibet punire volumus, & promittimus. Iura tamẽ noſtra ducalia & terreſtria in nullo per hoc violãdo, nec ab eiſdem recedentes. Harum quibus ſigilla noſtra cum ſubſcriptione nominatim nominũ noſtrorũ in pendulis Sigillorum ſunt appenſa teſtimonio literarum. Scriptum & datum in

in noua ciuitate Korczyn, feria ſexta ipſo die ſancti Marci Apoſtoli & Euangeliſtæ generali tunc Parlamento celebrato. Anno Domini 1438.

Hoc fœdus feceramus inter nos, ſanguine ictum noſtro: contra homines audaciſſimos: qui ſibijpſis præſidentes, ius, atque fas omne peruertunt: dum imperare legibus malunt: quàm illis parêre. Et quoniam extra hoc fœdus noſtrum, in deteriorem plrtem conuerti hîc apud vos in Polonia videmus oĩa: ô Polona gens, noſtrum genus inclytum: reſpondeatis nobis, ſi vobis idonei videmur. Primùm de nomine ipſo, vndénam hoc traxiſtis nomen? vt non Chriſtiani, quemadmodum nos: ſed Euãgelici, vt Chriſtianorum nemo, appellari vos malueritis. quî, aut vnde nomen id inueniſtis? Deinde, ſi Euangelicum nomen complacitum eſt vobis: cur Euangelium à nobis traditum, deſeruiſtis? & in aliud Euange-

Euangelicorum nomẽ nouũ.

Hæretici in Polonia cõmutant Euangeliũ vetꝰ nouo

angelium, inauditum nobis, patribusque nostris, translati estis? nam Christum ab æterno sacerdotẽ apud Deum Patrem fuisse: Diuinitatem in Mediatore Christo, frustra esse: fidẽ solam iustificare: opera fidelium pannum menstruatæ mulieris esse: ad bene agendũ vi homines cogi: non autem sponte duci: Ecclesiã absq; sacrificio esse: cœnã absq; corpore & sanguine Christi. Hæc, & alia intra hos quatuor & decẽ annos, à Sigismundi regis morte, noua & capitalia fieri, alienum est à nostro Euãgelio: quod antiquitus prædicatũ in Polonia nobis fuerat. Atque huius rei vel in primis testes sunt hi duo sanctissimi, & doctissimi Episcopi: quos coràm adesse videtis: videlicet, hic Adelbertus, Metrapolitanus Gnezneñ: & Stanislaus. Episcopus Cracouiẽsis: quorum vterque, pro hoc ipso Euangelio nobis prędicato, cæsus ab impijs est. hi eñ ex Euãgelio vetere nos docebant

cebant eam fidẽ, quam à persuadendo Gręci vocarunt πίστιν, id est persuasionem: quæ nixa metu, ad illam charitatem pertineret, quę ędificat: cùm tamen vestrum Euangelium doceat vos scientiã, quæ inflat. Dicitis enim vobis certum, exploratumq́, esse: vos esse in gratia Dei. Ergo vestrum Euangelium scit: nostrum autem credit: nos esse in gratia Dei. vestrum Euangelium dicit scio: nostrum autem dicit, Credo remissionem peccatorum, & uitam æternam. Vestrũ Euangeliũ est sine spe, scientia enim spem excludit: nostrum autem totũ spe nititur, & pręsentem Dei gratiam hominibus ostentans, ac pollicens: admonebat nos peccati, habebatque illo nos sollicitos semper: Qui se putat stare, caueat ne cadat. & breuiter, nostrum Euangelium anxios, suspẽsos, perturbatos, laboriosos ex peccatorũ cõsciẽtia nos faciebat: vestrũ Euangeliũ securm, solutũ, & à cura liberatum

Scientia spem excludit.

ratum

ratum est. Non est igitur Euangeliũ hoc, quo nunc nitimini vos, illud q̃ ab initio in Polonia Euangelizatum fuerat nobis. Cui Euangelio vestro nulla debentur Euangelia: id est, læti nuncij pręmia. Est enim iners, ignauum, & somniculosum Euangelium hoc vestrum: caret exercitationibus virtutum: non orat, non ieiunat, non eleemosynas dat: non castigat, neq; in seruitutem corpus suum redigit: sed somni, vini, stupri plenum est. Quod si quis illud interpellet, & è somno excitet: mox concitatur ad rixam: ac bellicum cantans, pastores inuadit, oues dispergit, templa diripit, altaria euertit, Prophetas occidit, omnẽ beneficiorum Christi memoriam obliterat. Denique, illam salutarem notã, qua percussus est grex Christi, è templis, è triuijs, à frontibus denique uestris tollit, extinguit, delet. Non enim frons vestra signo crucis teritur: non crux in templis lu-

Euangeliũ hęret. corũ quale.

Signũ crucis deletur

cet:

cet: non à prætereuntibus in triuijs, illo solenni salutatur: Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi: quia p̱ crucem tuam redemisti mundum. Ita signum illud filij hominis, quod supremam mundi diem præcedet: & quod apparebit in cælo: & super qđ, olim plangent omnes Tribus terræ: agris, & vrbibus vestris nunc exterminatur, Euãgelij vestri p̃scripto. Quod Euãgelium ex Germania huc ad vos in Poloniam importatum, eò impietatis adegit vos, vt nos procreatores vestros ideo deuoueatis, ac despondeatis orco, quòd præscripto Euangelij, ab vrbe Roma nobis prædicati, vestro Euangelio Germanico vixerimus aduersi. Nam in orationibus, in ieiunijs, in eleemosynis, seruientes Deo nocte & die, non discedebamus à templo: sed media nocte, etiam antelucanis temporibus, surgebamus ad confitendum nomini domini. Hora item Prima, Tertia, Sexta, Nona,

Poloniæ veteris pietas.

X Ves-

Veſpertina, atq; Sera, meditationem mortis Chriſti, quaſi gradibus quibuſdam, dum penetramus in cælum: habebamus diuiſam. A ſacrificio omnia noſtra priuata, & publica opera inchoabamus. Sine crucis ſigno, neque domi, neque foris, neque pace, neque bello, neque priuatim, neque publicè agebamus, neque tranſigebamus quicquam. Sic ergo vita erat: ſic lux noſtra hominibus lucebat barbaris, vt Roxolanis: qui noſtri æmulatione commoti, è Conſtantinopoli fidem catholicam ſibi accerſendã putauerunt: vt Prutenis, qui noſtra pietate capti, ciuitate Dei ſunt donati: vt Lithuanis, qui fidi ęmulatores noſtri, & imagines nobilitatis, & religiones pietatis à nobis acceperunt: Et tamẽ adhuc vobis à primo ſatu noſtro natis, idololatræ viſi ſumus: quorum tanta extant in omni genere pietatis documenta? Hęccine eſt pietas? hęccine Euangelica vox? ô parentũ veſtrorum

Imitatione Polonię barbari fidem accipiunt.

ſtrorum deſertores filij. Pater, & mater mea pro perfidis damnati: aui, & proaui noſtri hinc ad Sathanam profecti. vixerunt enim abſque Euangelio. Heu pietas, heu priſca fides, & inuicta bello dextera. quò vobis, abierũt ꝓcepta illa, q̃ in hac terra, quõdã ſtare ſolebãt? Honora patrem, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. Et illud: Qui maledixerit patri, & matri ſuæ, morte moriatur. Denique illud: Interroga patres tuos, & dicent tibi, maiores tuos, & annunciabunt tibi. Vos verò, non tantùm non interrogatis nos, vt ex lege annunciemus vobis bona, quæ ipſi antiquitus ab alijs patribus tradita per manus acceperamus: ſed tanquam ſceleratos, ac ſacrilegos æternis nos etiam deuouetis ſupplicijs? nec ſolos? ſed genus Chriſtianũ vniuerſum: atq; adeò, ipſam ſanctam Dei Eccleſiam Catholicam. A cuius conſenſu ſemel renati, nunq̃ receſſimus: ſed in eius gremio,

Hæretici blaſphemi in parẽtes.

Veteres Poloni in fide conſtantiſſimi.

vt viximus, ita eũ sepulti sumus. Par autem erat, non nos, à vobis: sed vos filios, à nobis patribus vestris iudicari. Quanto enim propius absuimus ab illo primo Euangelij statu: tanto exploratiora de Euãgelio habuimus omnia: quàm habeatis vos, qui intra hos xiiij annos, in Polonia nunc demum de Euangelio garrire cœpistis, quicquid in buccam venit. Et quoniam hæc impia fraus, non est in Euãgelio, vobis per nos tradito, cuius p̃cipua est pietas in parentes, ex alio Euãgelio hæc impia vos deriuastis omnia, quod ex Germania in Poloniam ad vos hæreticorum primus intulit Stancar: in quo sunt omnia sceleri ꝓpiora, quàm religioni. Quod sanè Euangelium Stancari, non est sacramẽtũ illud, quod manifestum est in carne: iustificatũ est in spiritu: quod apparuit angelis, prædicatum est gẽtibus: creditum est in mundo: assumptum est in gloria. Sed est hoc Stancari

Quo tempore hæresis in Poloniã venit.

Euangeliũ Stancari quale.

cari Euangelium laqueus ille paratus vestris pedibus, quo vos Sathan captat, ac de ciuitate Dei vos illo in ciuitatem Diaboli transportat. Nam vitio deprauatæ voluntatis, cùm degenerassetis à grauitate nostra: ĩ hũc laqueum vltrò collum inseritis, vt ob torta gula, Sathanas sub tartara faciliùs det vos p̃cipites. qui hoc ipso Euangelio Stancari nunc propinat vobis dulcia, vt ingerat amara: ostentat vobis violas, porrigit spinas: pollicetur panem, dat vobis scorpionem: ꝓmittit vitam, inculcat vobis mortẽ. Et, si conferendum exemplum est, vt Euangelium nostrum, quod ab initio in Polonia annuntiatum fuerat nobis, vni fonti, in quatuor paradysi flumina erumpenti, assimilatur: ita Euangelium hoc Stancari, ex Germania ad vos importatum, ex vno patre Diabolo erumpens, quatuor fluminibus, ab inferis manantibus, simile est. Vni enim, Acheronti si-

Euãgeliũ Germanicum.

mile illud est: cruentat enim ob secessionem, & lacerat vos conscientia. Alteri Cocyto: contẽtione enim pleni estis. Tertio Stygi: torquet enim vos inuidia. Phlegethonti quarto: ardetis enim libidine, quæ vos ad omne facinus impellit. Et nisi resipiscitis, & nisi nos, patres vestros respicitis, Euangelium hoc Germanicum, Stancaro duce, referet vos ad priscã illam nostram Macedonicam, atque Illyricam vitã: vt pro Christo, Mars: pro Maria virgine, Læda, Iunonis pellex: Pogoda item, atque Poguisda, sint vobis in Poloniam ab integro recipiendi. Tum etiam Mercuriales illæ statuæ, omnibus triuijs erunt vobis reponendæ: quandoquidem Christi, cruci suffixi simulacrum comparare in triuio viatori fas apud vos non est. Etenim, si pudori Christianum nomen nostrum vobis est: sit sanè honori, barbarum illud nomen: quo inter Macedonas, atque Dalmatas,

matas, sub dño Diabolo, olim fuimus illustres. Et si Ecclesiam catholicam non vultis habere matrem: sit mater vestra Cęthra, id est, Macedonia: vt ita, cùm nostris vestigijs in has cælestes sedes penetrare vos pudet, hæreticorum vestigijs, vt Lutheri, vt Caluini, vt Bullingeri, vt Vergerij, vt Brentij, vt Stancari, vt Lysmanini, vt Blandratæ, vt Statorij Galli, penetretis in Acherontia templa, alta orci, pallida leti, obnubila, obsita tenebris loca: vbi huius Germanici Euangelij, ac Stancarani dogmatis, cũ impijs sempiternas sustineatis pœnas, vestra voluntate susceptas: vt iure, ac meritò, cùm ex Euangelio Euangelizato nobis, haurire non vultis vitam: ex Stancari Euangelio hauriatis mortem: quod non est aliud, quàm Chimæra quædam, ex Græcorum poëtarum fabulis exorta. quę vulgò in Polonia Obłuda patrio nomine, dicebatur. est enim hoc sine

Euangeliũ hęreticorum chimæra est.

ſiue Stăcaranum, ſiue Germanicum Euangelium : phantaſma quoddam eiuſmodi: quale delirantium eſt ſomnium. Vt enim homines deliri, ſomnio beatos, atq; reges ſe eſſe arbitrantur, cùm reuerà miſeri ſint atq; inglorij: ſic vos Germanico Euăgelio, Stăcaronoq; capti, in bonis vos eſſe arbitramini, cùm ſitis omnibus rebus miſerrimi. Sed ſi iam à nobis patribusq; veſtris alieni eſſe vultis, & ſi etiam patrium animum, pietatemq;, auctore Stăcaro, excutitis: agite, vt lubet: vos ſentietis poſterius. Sed tamen reddite nobis, quæ noſtra ſunt, & quæ tradita à nobis adhuc poſſidetis, vt baptiſmum: vt nouam & veterem legĕ: vt Cŏcilia, decreta, patres, & cæterũ Eccleſiaſticum inſtrumentum. Hæc enim ad Stancari Euangeliũ nŏ pertinent: aliena ab illo ſunt, noſtrique ſunt Euangelij propria. Et quoniam Petrus Romanus, ſacerdos ille ſummus, cum omni vi, poteſtateque ſua à vo-

Hæreſis omnia diuina & humana perdit.

à vobis pellitur, ne regius quidĕ honos, magnis noſtris laboribus, cruentisq; prælijs, pro fide atq; ſede Petri ſuſceptis, penes vos maneat. corruat cũ ſacerdote pariter in Polonia thronus ipſe regius: infringatur Sceptrũ: laceretur corona: cŏteratur gladius: Poſtremò, concidat regalis apex atq; vertex, vt ita ſpreta atque ex Polonia pulſa à vobis Pontificialis poteſtas: regalem quoq; poteſtatem, tanquam adminiſtrã atq; famulam ſuam, hinc ſecum abducat, Polonia hac veſtra, illis execrationib9 Moſaicis obnoxia, derelicta: quæ in deſertores Eccleſiæ catholicæ illæ ſunt execrationes acerbiſſimæ.

DEVTERONOMII XXVIII. CAP.

QVòd ſi audire nolueris vocĕ Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius: & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, ve-

 nient

nient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledict9 in agro. Maledictum horreum tuũ, & maledictæ reliquiæ tuæ, & maledictus fructus ventris tui, & fructus terrę tuę, armẽta boum tuorum, & greges ouiũ tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationẽ in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuẽtiones tuas pessimas, in quib9 reliquisti me. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam: Percutiat te Domin9 egestate, febri, & frigore, ardore, & ęstu, & aëre corrupto ac rubigine, & persequatur donec pereas. Sit cælum, quod supra te est, æneum: & terra quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis, donec

donec conteraris. Tradat te dominus corruentem ante hostes tuos: & per vnam uiam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ, sitque cadauer tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestijs terræ: & non sit qui abigat. Percutiat te dominus hulcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egerũtur. Scabie quoque, & prurigine, ita vt curari nequeas. Percutiat te dominus dementia et cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris uiolentia, nec habeas qui liberet te. Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in cõspectu tuo, & nõ reddatur tibi. oues tuę dentur

dentur inimicis tuis,& non ſit qui te adiuuet. Filij tui,& filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis,& deficientibus ad conſpectum eorum tota die,& nõ ſit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus quem ignoras,& ſis ſemper calumniã ſuſtinẽs,& oppreſſus cunctis diebus, obſtupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui. Percutiat te dominus hulcere peſſimo in genib⁹, & in ſuris: ſanariq́; non poſſis, à planta pedis vſque ad verticem tuum. Ducetq́; te dominus & regem, quem cõſtitues ſuper te in gentem, quã ignoras tu & patres tui: & ſeruies ibi dijs alienis, ligno & lapidi. Et eris in ſtuporem, in prouerbium ac fabulã omnibus populis, ad quos te introduxerit dominus. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locuſtæ deuorabunt omnia. Vineam plantabis &fodies,& vinum

nõ bibes, nec colliges ex ea q̃ppiam, quoniam vaſtabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis,& non vngeris oleo: quia defluent,& deperibunt. Filios generabis, & filias,& non frueris eis: quoniã ducentur in captiuitatem. Omnes arbores tuas,& fruges terræ tuæ, rubigo conſumet. Aduena, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritq́; ſublimior: tu autem deſcẽdes, & eris inferior. Ipſe fœnerabit tibi: & tu nõ fœnerabis ei. Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam. & veniẽt ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & perſequentes apprehendẽt te, donec intereas: quia non audiſti vocem domini Dei tui, nec ſeruaſti mãdata eius, & ceremonias, quas præcepit tibi. Et erunt in te ſigna atque prodigia, & in ſemine tuo vſq; in ſempiternum: eò quod nõ ſeruieris domino Deo tuo in gaudio, cordiſque lætitia, propter rerum omnium abundantiam. Seruies inimico

mico tuo,quem immittet tibi domi-
nus,in fame & ſiti,& nuditate,& om
ni penuria : & ponet iugum ferreum
ſuper ceruicem tuam , donec te con-
terat . Adducet dominus ſuper te
gentem de longinquo,& de extremis
terræ finibus, in ſimilitudinem aqui-
læ volantis cum impetu : cuius lin-
guam intelligere non poſſis: gentem
procaciſſimam , quæ non deferat
ſeni,nec miſereatur paruuli:& deuo-
ret fructum iumentorum tuorum, ac
fruges terræ tuæ : donec intereas, &
non relinquat tibi triticum , vinum,
& oleum , armenta boum & greges
ouium : donec te diſperdat , & con-
terat in cunctis vrbibus tuis , & de-
ſtruantur muri tui firmi, atque ſubli-
mes , in quibus habebas fiduciam in
omni terra tua . Obſideberis intra
portas tuas in omni terra tua , quam
dabit tibi dominus Deus tuus:& co-
medes fructum vteri tui, & carnes fi-
liorũ tuorũ & filiarũ tuarũ,quas dede

rit tibi dominus Deus tuus,in angu-
ſtia,& vaſtitate, qua opprimet te ho-
ſtis tuus.Homo delicatus in te,& lu-
xurioſus valde,inuidebit fratri ſuo,&
vxori , quæ cubat in ſinu ſuo , ne det
eis de carnibus filiorum ſuorũ , quas
comedet : eò quòd nihil aliud habe-
at,in obſidione , & penuria , qua va-
ſtauerint te inimici tui intra omnes
portas tuas. Tenera mulier,& delica-
ta,quæ ſuper terrã ingredi non vale-
bat, nec pedis veſtigiũ figere,propter
molliciem , & teneritudinem nimiã,
inuidebit viro ſuo : qui cubat in ſinu
eius,ſuper filij, & filiæ carnibus,& il-
luuie ſecundinarum: quæ egrediun-
tur de medio feminum eius : & ſu-
per liberis qui eadem hora nati ſunt.
comedent enim eos clam , propter
rerum omnium penuriam , in obſi-
dione , & vaſtitate, qua opprimet te
inimicus tuus intra portas tuas . Niſi
cuſtodieris , & feceris oĩa verba legis
huiꝰ, q̃ ſcripta ſũt in hoc volumine,&

timueris nomen eius gloriosum & terribile,hoc est dominum Deũ tuũ, augebit dominus plagas tuas, & plagas seminis tui,plagas magnas, & ꝑseuerantes,infirmitates pessimas, & perpetuas, & conuertet in te omnes afflictiones Ægypti,quas timuisti, & adhærebunt tibi.Insuper & vniuersos languores & plagas,quæ nõ sunt scripta in volumine legis huius, inducet dominus super te, donec te conterant,&remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli,ꝑ multitudine:quoniam non audistis vocẽ domini Dei vestri.sicut ante lætatus est dominus super vos bene vobis faciens,vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos,atq; subuertẽs: vt auferamini de terra, ad quã ingredimini posidendã. Disperget te dominus in omnes populos à summitate terræ,vsq; ad terminos eius,& seruies ibi dijs alienis, quos & tu ignoras:& patres tui lignis & lapidibus.

In

In gentibus quoque illis non quiesces,neque erit requies vestigio pedis tui.dabit enim tibi dominus ibi, cor pauidum,& deficiẽtes oculos,& animã consumptã mœrore, & erit vita tua,quasi pẽdens ante te.timebis,nocte &die:& non credes vitę tuę:mane dices, quis mihi det vesperum? & vespere,quis mihi det mane?propter cordis tui formidinem, qua terreberis,& propter ea,quæ videbis tuis oculis reducet te dominus classibus in Ægyptum, per viã, de qua dixi tibi, vt eam amplius ne videres, ibi venderis inimicis tuis in seruos,& ancillas, & non erit qui emat.

Y HA-

HABES SIGISMVNDE

AVguste Rex inclyte, à fideli ſubdito, Stancari ſectam, hoc eſt, Regum, & regnorum peſtem: nouo licet, vero tamen argumento tibi exhibitam. Nulla hîc eſt venditatio ingenij, Auguſte Rex, nulla doctrinę oſtentatio: ſed pura fides, atque charitas ardens illa, quæ prophetat, futura præmonſtrat, ſalutaria nunciat. Quæ quidem valere apud te debet, non verborum noſtrorum: ſed rerum ipſarum pondere: quarum illa ſit apud te ſumma. In rerum natura hæc tria eſſe inter ſe nexa, & iugata. Altare, Sacerdotem atq; Regem, hoc modo, atq; ordine, vt ſaluis rebꝰ regni, ſacerdos ſemper ſeruiat altari. Rex autem, ſemper miniſtret ſacerdoti. Quòd ſi hæc in tuo regno contrà, ac dico fiunt, regnum tuum diſpereat neceſſe eſt. Nam, qui Rex, hæreticorum ſuaſu, cum ſacerdote pugnat de loco, ac primas ante illum petit, id vtique agit, vt ſacerdote amo-

amoto, altari ipſe ſeruiat: & vt poſtea ne in ſecundis quidem, neq; in tertijs conſiſtat: ſed tam ipſe Rex, quã omnes regni ipſius opes corruant. Deus autem omnipotens, qui glorioſum genus tuum Iagellanum, ad conſeruandam Sarmatiã, & vniuerſam Septentrionis vicinitatẽ delegit, dirigat vias tuas, in omni conſilio, opereq́ue tuo regio: teq; ad imitandũ cunctis regibus terræ proponat rebus geſtis, magnificũ, religionibus, glorioſum, pietate, illuſtrem: ſanctitate autem, imitabilem regem. vt tuo conſpectu, reges ſtupeãt: imitatione tui, diſcãt: exemplo autem de te ſumpto, regificè viuant. Quod quidem pręſtare dignetur nobis ſubiectis tibi, Rex ille regum, Chriſtus: Cuius regnum, & imperium ſine fine permanet.

AMEN.

RERVM MEMORABILIVM IN HOC LIBRO INDEX.

Sigis-

FINIS INDICIS.

Typis Godefridi Ceruicorni.

AD LECTOREM:

MATTHIAS PLOCENSIS.

SI te dogma iuuat uerum, si mente quieta
Eße cupis, uerses hæc pia scripta manu.
Detegit auctor enim fraudes, quas Stancarus ore
Clamoso spargens, scindit ouile dei.
Castigatq; etiam magnorum Orichouius acri
Annosas Regum sæpe dolore moras.
Eße sacerdotis per dignum munus honore
Affirmat summo: Christus ut ipse docet.
Hic uerò spretus nunc est honor, attamen æquus
Tutari hunc uita, quisq; paratus erit.
Qualis hic est præsens auctor, q dogmata sternit
Hæreseos: illum uincere nemo potest.
Stancare terga dabis, quondam ut Catilina malignus,
Eloquio uictus qui Ciceronis erat.
Eloquio, pietate uiri, sic uinceris huius,
Qui modò te contra fortia tela iacit.
Est igitur nobis Orichouius iste sequendus,
Instituens scriptis pectora nostra pijs.



188